




Orbita
Philosophia
naturalis
veritata

MDCXLVII



R B I T A
PHILOSOPHIAE
NATURALIS,

Peripateticè versata,

JN ARCHIEPISCO PALI
Salisburgensum Universitate.

S U B P R A E S I D I O

P. SYMPERTI VISCHER,
ORD. S. BENEDICTI, IN IMPERIALI
MONASTERIO SS. UDALRICI ET AFRÆ AU-
GUSTÆ VINDEL. MONACHI, PHILOSOPHIAE
PROFESSORIS ORDINARIIL.

Propugnata

A

RELIGIOSIS, ET DOCTISSIMIS FR.

F. MAURO HAAS, ET F. JO-
ANNE TILMAN EUNDEM ORDINEM
IN CELEBERRIMO MONASTERIO B.^{ma} VIRGINIS.

vulgo ad Scotos appellato, Viennae Austria Professis,

AA. Liberalium & Philosophie Baccalaureis,


ac Magisterii Philosophici

Candidatis..

Die Mensis Octobris Anno M.DC.XLVII.

S A L I S B U R G I,

Ex Typographeo CHRISTOPHI KATZENBERGERI, Au-
lici & Academicí Typographi.







JLL.^{MO} ET REV^{MO} DOMINO
DOMINO

PHILIPPO
FRIDERICO
S. ROM. IMPERII PRIN-
CIPI ECCLESIAE VIENNENSIS
EPISCOPO.

Domino D.^{no} Clementissima.



Uò alios ducit con-
suetudo, nos pietas trahit.
Quis enim verò JELVSTRIS-
SIME ET REVERENDISSIME
PRÆSUL, quisnam in Aca-
demicis adeò est hospes, ut nesciat studiosâ
J.C. 2 de ju-

Epiſtola

de juventute, quemvis lucubrations suas
vel Principibus, vel alijs magnis nomini-
bus inscribere solere: idque jam olim non
abolendum usum obtinuisse: sed habeant
alij rationem veteris consuetudinis, nos au-
tem ambo, momentum in singulari bene-
ficio ponimus, quo JLLVSTRISSIMA ET
REVERENDISSIMA CELSITVDO TVA Mo-
naſterium Scotense affecit, dum ei Pater
fuit. Quinque abhinc annis, cum Illud
tristi caſu Caput perdidisset, neque Religi-
osi Filij, optimo Parente orbi, satis ſcirent,
quò ſe verterent, JLLVSTRISSIMA ET RE-
VERENDISSIMA CELSITVDO TVA in anci-
piti prorsus Charybdi laborantes oblatâ
dexterâ benignè excepit: tantâ diligentia
& ſolicitudine cauſam eorundem ubique
egit, ut chariſſimis pupilliſ cura major ad-
hiberi planè non poſſit.

An non, per Tuam Te fidem obſe-
cramus, hoc ſummi amoris erat, monere
nos

Dedicatoria.

nos humanissimè atque hortari, ut in pīj;
Religiosi, docti, moderati & prudentis An-
tistitis electionem, omni cogitatione stu-
dioq; incumberemus? Quid? Ipse virum,
qui vota nostra non tantū expleturus, sed
etiam superaturus esset, nobis velut digito
monstrasti, simulque submissis reverenter
capitibus, ut nos annuere intellexisti, nul-
lam non machinam intendisti, ut REVEREN-
DISSIMVM D. ANTONIVM ABBATEM GARSTENSEM, lau-
datissimum Cœnobiarcham, in potestatem
redigeres, nobisque dares, quem non mo-
do bonum esse sciebas, sed etiam exemplo
bonos facere. Rectissimè. Nec enim tam
imperio hominibus opus, quam exemplo.
Quod igitur eum Ducem habeamus, in cu-
jus vestigia si imus, ad Superos tendimus,
& qui non pro Domino, sed pro Patre se ge-
rat, non Fortunæ, sed DEO imprimis, dein-
de JLLVSTRISSIMÆ ET REVERENDISSIMÆ
CELSITVDINI TVÆ gratias meminimus.

Clarissimi profecto *Majores Tui*, qui togam & sagum (addo Aureum vellus) pulcherrimis factis nobilitarunt, hanc TIBI legem dixisse videntur, ut de Scotensi Monasterio benè mereri studeres, qui Gentilium suum Mausoleum in meditullio psallentium hic Monachorum collocarunt, animi sui in nos propensi maximum argumentum: perpetuum monumentum.

Neque verò angusto in clauistro *Tua pietas* stetit, sed in campum Virtutis excursens, quicquid ornamenti, quicquid utilitatis Dioecesi Viennensi afferre potuit, utrāque manu attulit. Cum enim caput Turarum curarum sit *Religio*, ut primum in Cathedram Viennensem evectus fuisti, consuetudines quasdam illaudatas, paulatim in sacra illapsas, sapientissimè correxisti: alia è tenebris in luce vocasti: insuper in Templo Cathedrali eam D. STEPHANO aram posuisti, quam, qui oculis non usurpavit,
nec

Dedicatoria.

nec animo concipere potest. Vulgare marmor ac pedibus obvium, magnis operibus saepe pretium addiderunt: atqui TVAJLLV-
STRISSIMA ET REVERENDISSIMA CELSI-
TVDO ingentibus ausis, remotâ in Poloniâ
quæsitissimos movit lapides, & incredibili
sumptu transtulit Viennam.

Animadversum est à curiosis eam ipsam Aram ita peregrino marmore ad miraculum artis statuariæ factam (Apellis penicillum præterimus, ne longi simus) non saxum esse, sed magnetem; adeò Cives & vulgus undique ad se trahit, stipante multitudine amplissimum templum. Non Te laudamus: Ipse à Te laudaris. Nos tamen reprimimus: plura dicunt, qui tacent. Vnum hoc ad sacram fimbriam Tuam profusi devotissimè rogamus, ut hunc Philosophicæ Orbitæ, quem Tibi dicamus Libellum boni facias. Rudes plerumque magnos emunt libros; doctis (quorum in Albo JL-

Epistola Dedicatoria..

LVSTRISSIMA ET REVERENDISSIMA CEL-
SI TVDO TUA est) satis est parvus: satis e-
tiam est nullus. Cape igitur promptâ dex-
terâ. Sæpe manum infimis dedere supe-
ri. Ita Monasterio nostro B. Virginis ad
Scotos & Ecclesiam Viennensi incolumis
vive, consenserce. SALISBVRGI Calendis
Octobris.

*Fluſtrissime & Reverendissime
Celsitudini Tuæ*

Devotissimi Clientes

*F. Maurus Haas.
F. Joannes Tilman.*

Pro-

PRO O C M I V M.

Dulcis quidem astrorū inspectatio est,
solis scire modum, & quantò minor Orbita Lunæ est.
 Quibus legibus sydera incedant, &
 cœlorum machinæ rotentur in orbem, meritò
 tamen amplius, & ut plurimùm:

*Iuvat ire jugis, quæ Tota prioris
 Naturæ, molli devertitur Orbita clivo.*

Unum ajo, & omnia: Operæ pretium sanè in-
 gens est & quo vix majus aliud Nosse NATU-
 RAM, cuius tractatio id in se pulcherrimè exhi-
 bet, quod magnificentiâ suâ mortales impen-
 sè detineat, & miraculo colatur, nō mercede.
 Imus igitur per Majorum & Priorum vestigia,
 ac ne extra orbitam saltemus, excessuri ex Phi-
 losophiæ stadio ad axem peripateticum clavū
 figimus, & selectioribus aliquot ex Philo-
 phiâ naturali Theorematis Orbitam Naturæ
 ad certa vestigia versamus, & publicâ disquisi-
 tione obfirmandam in arenam destituimus.

EX VIII. PHYSIC. LIB.

VESTIGIVM PRIMVM.

Tria sunt rerum naturalium Principia, duo simpliciter, tertium minimè.

DISQUISITIO.

§. 1. **P**rincipia rerum naturalium sunt, quæ neque ex se invicem, neque ex aliis, sed ex his omnia sunt: ait tex. 42. Aristoteles. Ea sunt Materia, Forma & Privatio, nec plura nec pauciora, quod ex veterum Philosophorum estatis, ternario numero adstruendo collegit tex. 48. omnes enim Elementa & ab ipsis vocata principia, quamvis sine ratione ponentes, tamen contraria dicunt, tanquam ab ipsa veritate coacti, quando enim hoc natura principiorum fert, ut non sint ex se mutuò, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia, contrariis autem primis insunt. Hæc ex tex. 42. cit. idcirco principia rerum naturalium contraria & prima contraria erunt: Nihil autem sibi ipsi contrariatur, sed alteri, ideo non unum sed plura & duo contraria erunt principia, quibus tertium superaddi necesse est, ne vel se mutuò constituant, vel in quoddam tertium principium, utrumque hocce coalescat: Contraria porrò sibi invicem inimica, unâ sese non tolerant, sed adveniente uno mox alterum sede suâ depellitur, quare communis aliquo subjecto opus habent, quod utriusque contrarij conflictum suscipiens, expulso uno, alterum ita complectatur, ut compositū naturale exinde simpliciter fieri possit, constat igitur tria esse rerū naturalium principia, & quia contraria cùm à se invicem maximè distent, subjecto tamen eidem vicissim inesse apta data sunt, adeoque ad patientium sufficiens est unum, tex. 56 principia tria solùm sunt, non plura.

§. 2. Duo tantum ex hoc ternario sunt principia intrinseca, per se, ac simpliciter, utpotè Materia & Forma, Tertium vero Priva-
tio, est principium non nisi per accidens corporis naturalis, utcumque illud spectetur tam in Facto, quam in Fieri.⁹ Non quæsivit Ari-
stoteles in I. Phys. Principia Generationis seu ipsius fieri, sed quæ-
rit

rit principia rerum naturalium, seu objecti Physici, scilicet Corporis naturalis, et si per principia generationis confusè cognitæ indaget principia rerum naturalium, ideoquæ Physici non debent alia principia quærere in adytis Physicæ, nisi quæ sint Elementa & Causæ, ut folet ea indigetare Philosophus, ex quibus ut potè oriantur passiones de corpore naturali demonstrandæ. Hoc verò nomine Causa importat influxum quendam ad esse Causati, ita tamen, ut sola Causa intrinseca, ut est pars prima in generatione rei, possit dici Elementum juxta S. Thom. 5. Met. lec. 1. Atque hinc est, quodcum, cùm omnia principia in hoc convenient, ut sint primum, unde aliquid est, aut sit, aut cognoscitur, differant tamen vel maximè, quod quædam sint intrinseca, alia extrinseca: Intrinseca & per se corporis naturalis dicimus esse Materiam & Formam tam in fieri quæm in facto, unumquodque enim eorum, quod dicitur secundum substantiam ex subiecto & forma sit. 1. Phyl. tex. 65. & tex. 95. expresse docetur, unumquodque si sit non secundum accidens, fieri ex subiecto & formâ; ut adeò ea sint Principia per se ex quibus componuntur & in quæ resolvuntur res naturales, componuntur autem ex solâ materiâ & formâ substantiali, in qua enim unumquodque resolvitur, ex ijs sit, & est, & componitur per se ait lect. 13. in 1. Phyl. S.D. cum itaque in solam materiam & formam corpus naturale resolvatur, subiectum & forma sunt per se causa & principia omnis eius, quod sit secundum naturam. I.c. igitur tam in fieri, cùm hoc proprio ordinetur, ad Ese rei, quæm in facto Materia & Forma duo per se intrinseca. Principia rerum naturalium sunt.

S. 3. Privationem non esse Principium intrinsecum, nec in Facto esse, nec in Fieri, indè conujicies, tūm quia nec causâ per se, nec ut elementum in esse ipsius Compositi permanens est, tūm quod nec ad esse rei etiam in fieri quidquam ex se conferat. Nam ex hoc aliquid sit per se, quod inest rei, postquam iam facta est, & quod intrat substantiam rei facta 1. Phyl. lect. 14. Privatio autem hujusmodi non est, est enim non ens per se, & distincta contra materiam, ex tex. 79. ex non ente verò nihil sit per se tex. 75. Non igitur Privatio erit Principium per se: Nos autem, inquit Arist. I. c. & ipsi dicimus, fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo, quod non est, ut secundum accidens, ex privatione enim, qua est per se non ens, non inexistente sit. Cui addit S. Th. lect. 13. Privatio vel contrarium,

est Principium per accidens, accidit enim subiecto: rationem hanc habero: Ex nihilo nihil fit, uti Principio intrinseco, Privatio in recto est nihil, sic enim est penitus non ens & extratomum Ens, prout est ipsa carentia forma, vel contrarium forma, quod subiecto accidit, ait lect. 15. S. Th. Non potest itaque esse per se principium corporis naturalis Privatio, nec in fieri etiam, siquidem ex contrariis fit aliquid per accidens, i. p. q. 45. a. 5. ad 2. ut dicitur in 1. Phys. per se autem fit aliquid ex subiecto, quod est in potentia: Denique non abnuimus privationem esse principiū ipsius generationis, seu ipsius fieri, prout mutatio quædam est, & in abstracto, nunquam tamen concedi debet, illam esse principium per se Corporis naturalis in Fieri, in quantum Fieri dicit quoddam rei naturalis initium essendi, juxta D. Th. l. c. a. 4. in C. Esto enim quod fieri quidem sit à non esse seu privatione, ad Esse, vel formam progressio, quia tamen ipsum non esse est extra directum ipsius fieri (prout directè tantum importat initium essendi) conceptum, Privatio tamen non erit per se principium in fieri, sed per accidens duntaxat, nam licet necessariò quidem antecedat, per se tamen non antecedit, neque enim statim omne necessarium, est etiam per se.

VESTIGIUM SECUNDUM.

Materia prima est pura potentia Passiva, absque omni actu, etiam entitativo.

DISQUISITIO.

S. 1. **M**ateria prima adeò est Potentia, ut non sit aliud ejus essentia, quam Potentia: *Ne quis dubitet, ait S. Th. 1. Phys. tex. 15. quod sit potentia materia, dicendum est, quod actus & potentia dividunt quodlibet genus entium, ut patet in 9. Met. unde sicut potentia ad qualitatem, non est aliud extra genus qualitatis, ita potentia ad esse substantiale, non est aliquid extra genus substantia. Itaque quia corpora naturalia & agunt, & patiuntur, tam agendi quam patiendi potentiam è suis principiis, è quibus consti- tuuntur, habeant necesse est, Forma proinde agendi principium est & actus, Materia patiendi principium est, & potentia, non secundum proprietatem aliquam superadditam essentiæ suæ, sed secun-*

cundum suam substantiam potentia est, ad esse substantiale. *Materia*, ait Aristoteles 9. Met. tex. 16. potentia est donec veniat ad speciem (seu formam) quando verò actus est, tunc in specie est: ideo enim *Materia subiectum* dicitur, quia formæ subjicitur, & primum quidem unicuiusque ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si corruptitur aliquid, in hoc abibit ultimum, i. Phys. tex. 82. Quare materia ex se nullam formam habet, sed nuda & informis ad omnes, neque enim est *Quid*, neque *Quantum*, nec *Quale*, neque aliquid aliud quipiam quibus Ens determinatur. 7. Met. tex 8. potest ratiōnen ad hanc vel illam formam progreedi, quia potentia omnia est. 19. Met. tex. 16. Idcirco *Materia propè nihil* dicitur, quia actu nihil est, sed solum potentia aliquid, in quantum actuari per formam potest, ideo etiam propè aliquid est, scilicet potentia aliquid: quarē D. Augustin. 12. Confess. c. 7. dixit: *Deus effecisse duo à principio, unum propè sē*, naturam videlicet Angelicam, alterum *propè nihil* nimirū primam rerum naturalium materiam, quæ in eo solum à nihilo recessit, quia aliquod ens est in potentia, id siquidem quod purum non ens & nihil est, neque actu ens est, nec potentia. *Per Formam autem qua est actus materia, efficitur Materia Ens actu*, ait S. Th. c. 2. de ente & essentia. Denique si in rerum naturā invenitur aliquod ens, quod ita est purus actus, ut nullam prorsus dicat potentialitatem ut *Deus*, dabitur etiam aliquod ens, quod sic sit pura Potentia, ut nullum involvat actum, quod aliud non est, quam *Materia prima*, ut etiam differit S. Th. 1. cont. Gent. c. 43. Extrema autem debent esse impermixta, & nihil ejus, quod continetur in uno, in extremo altero reperiri, ut nihil frigoris in calore &c. idcirco nihil potentialitatis in primo Ente, nihilque actualitatis in infinito Ente, quod est *Materia prima*, invenietur: sanè *Materia prima* physicè est omnino simplex, aut igitur tota est actus, aut tota potentia, nam simplex entitas non potest constare ex actu & potentia *Physicā*, tota autem materia actus non est, erit igitur tota potentia, nihil actus includens.

§. 2. Non frustrà, nec gratis Arist. 9. Met. c. 1. dividit ens per potentiam & actum, & sub potentia numerat Materiam, quam constat de facto existere per Formam, ut adeò potentia sit ultima & essentialis ratio, quam materia distinguitur à Formâ, ubique enim Formam opponit Materię, ac nunquam actum, semper verò

Potentiam Materiæ attribuit Arist: Quod opponunt autem: Aristotelem, cum negat Materiam secundum se esse Ens actu, intelligere Entis in actu nomine, Ens completum, vim non habet, æquo enim eodem pacto deberent concedere Formam esse actu non ens, cum æquè sit incompletum quid, ad Ens simpliciter seu completam substantiam ordinatum, & tamen in nullâ Philosophiâ ratum erit, Formam dicere actu non Ens. Potentiam Objectivam non nulli comminiscuntur quidem, at non probant, illam scilicet esse rem quamcunque, dum nondum est, & in tali statu rem esse possibilem, cui respondere dicunt Actum Entitativum, adeoque quamlibet rem, eo ipso quod existat, habere hunc actum, sed utrumque omnino inconcinnè; Siquidem Materiæ est simpliciter sub Potentia reali, igitur non sub actu, tūm quia Potentia objectiva non est Potentia realis, ajunt enim esse, non repugnantiam ad essendum; talem autem Potentiam objectivam nullam esse, dices ex S. Thom. de pot. q. 3. a. 1. ad 2. & 1. p. q. 46. a. 1. ad 1. quod ipsum & alij adstruunt, præ reliquis Capreol. in 2. sent. dist. 13. q. 1. *Quod si intelligitur sic, ait, quod potentia objectiva sit potentia realiter distincta à potentia activa, per quam aliquod objectum produci possibile est, distinctionis fictitia est, & prater mentem Philosophorum adinventata; qui nunquam fecerunt mentionem de aliqua potentia reali, nisi de potentia activâ & passivâ: si autem intelligatur sic, quod potentia objectiva dicat non repugnantiam ad fieri, & non aliquid positivum (illudque esse sit in potentia objectivâ activæ potentiaz tanquam possibile objici, posse fieri, neq; implicare aliquā repugnantiam)flare potest, sed tunc non erit realis potentia.*

§. 3. Nullum autem Actum entitativum posse competere Materiæ, inde evidens est, quia ejusmodi actus conveniet Materiæ, aut ut importans differentiam, aut ut habet existentiam Materiæ, vel denique ut est Ens, sane primum non dices, quia Materiæ prima nec est in determinata specie, nec distinctionem ullam infert, propriam verò existentiam non habere Materiam docet Philosophus 1. Phys. tex. 69. *Vnum igitur, ait, principium huc (Materiæ) non sic unum ut existens, neque sic ens, ut hoc aliquid; & decendum inquit, S.Th. 1. p. q. 7. a. 2. ad 3. quod materia prima non existit in rerum naturâ per seipsum, cum non sit ens actu, sed potentia tantum;* Denique ergo nec ut ens est, actus Entitativus competit Materiæ; si enim ut Ens, sit Actus, erit alicujus Potentiaz actus, nulla autem po-

test dari prior potentia realis. Aut certè si actum entitativum ur-
gere tibi placeat, accipe: actus hic eritne aliud à materia? & ta-
men convenit inter Adversarios actum hunc Entitativum esse a-
ctum entitatis, aut aliàs certè potentia prima seu subjectū primū
componetur ex actu & potentia, sicquē materia rationem subje-
cti primi deperderet: vel actus Entitativus erit idem cum mate-
ria? & tunc non sine absurdo ipsa prima Potentia actu foret, essen-
tialiterqué obtineret actum, & tamen idem secundūm idem non
potest actus esse & potentia, nisi in idem opposita simul coincide-
re concedas. Sed inquies: an non verum est actu de Materiâ e-
nunciare, Materiâ est ens, & non nihil, ergo aliquem actum entis
habet materia, ut potè entitativum, qui communis est omni illi rei,
quæ de nihilo extracta est, & sub ente constituta: Audio: sed op-
pono: de materiâ quidem verum est actu dicere, quod sit Ens, quod
tamen sit actu ens, vel actum entis habeat, nunquam consequitur,
siquidem ens de se ab Actu & potentia abstrahit, & etsi quidem
Materiâ intrinsecam aliquam entitatem habeat, non tamen hæc
intrinseca materiæ entitas actus est aut actualitas, sed potentiali-
tas, hæc enim Materiæ entitas est, ens actu fieri per formam posse.

§. 4. Materiâ prima ita pura potentia est, ut de se nec com-
pletam nec incompletam existentiam habeat, eò ipso, quia Mate-
riâ ex sui naturâ non tam est, ut ipsa in rerum natura per se sit,
quam ut alterius pars sit: idcirco nec ipsum *Esse* est proprius actus
materiæ, sed substantiæ totius, ejus enim actus est *Esse* de quo pos-
sumus dicere quod sit, *Esse* autem non dicitur de Materiâ, sed de
toto, unde Materiâ non potest dici *quod est*, sed ipsa substantia est
id, quod est, quare Materiâ non erit nisi pars essentiæ, talis autem
non existit nisi existentiâ totius compositi. Imò nec incomple-
tam existentiam in Materiâ invenire erit, cùm partialis talis exi-
stentia videatur omnino implicare, nam si quæ talis esset partialis
existentia, esset existentia prout rem præcisè ponit extra causas,
sive hoc, quod illi rei addat incommunicabilitatem, qua ratione
dici solet, quod existentia naturam rei extrinsecè terminet, prout
nim: rem in actu constituens, terminum & finem ejus potentia im-
ponit, è contra vero totalis existentia rem intrinsecè terminat, &
apropter facit, ut ea omnia rei insint, quæ quoquo modo ad rem
à par.

à parte rei constituendam requiruntur, sicquē in esse completo ac incomunicabili rem constituit: Quandō jam igitur concipi non potest, ut res aliquod esse à parte rei habeat extra causas, quin simul etiam cuncta ea habeat, quæ ad rei extra causas constitutio-
nem, ultra quod ad essentiam pertinet, requiruntur, pariter con-
cipi nō potest, quod materia prima habeat à parte rei existentiam,
nisi completam & totalem, talem verò cùm non habeat, nullam
habet omnino. At nunquid Materia, cùm per formam reducitur
in actum essendi, habebit non quidem propriam existentiam sed
alienam ut à Qvo? Dico, quod sicut omne Esse est à forma, hæc e-
nim est essendi principium & complementum essentia, ait S. D. 2. contra
Gent. c. 54. ita nec Materia pertingit ad esse nisi per formam. Esse au-
tem per se soli Composito convenit, per quod & partes esse acqui-
runt, ut adeò nonnisi per existentiam totius Materia existat, & di-
ci minimè possit, existentiam materiæ perfici ab existentiâ formæ,
aut enim perficeretur tanquam potentiale ab actuali, & tūm exi-
stentia materiæ non foret actus, aut si foret actus, tunc actus actui
superveniens, perficeret actum, quod utique inconveniens & ab-
surdum tolerari non debebit in Philosophiâ Peripateticâ.

VESTIGIUM TERTIUM.

Causalitas Causæ Finalis est actualis concur-
sus Finis, quo finis gratiâ aliquid ab agente
fieri intelligitur.

DISQUISITIO.

Ratio Formalis quidem, seu Virtus causandi
§. I. in fine est bonitas seu bonum; Quicquid enim est
finis est hujusmodi in quantum est bonum; 3. Cont.
Gent. c. 17. Formali siquidē ratione bonitatis allicitur & propels-
luntur agentia naturalia, ut efficaciter finis propter se appetatur,
unde 1. Ethic. ait Arist. Bonum esse, quod omnia appetunt, Con-
ditio sine qua non movet finis bonitas in cognoscentibus finem,
est apprehensum esse bonitatis, in non cognoscentibus verò est
ipsa naturalis inclinatio in finem, unde cōsecutivè afferimus. Cau-
sali-

falitatem finis esse actualem concursum finis, non absolute, sed prout per talem concursum finis gratia aliquid ab agente fieri intelligitur: uti sanè in causis intrinsecis materia formæ se subjiceret non intelligitur, nisi positæ formæ in materia, & ut forma non intelligitur actuare nisi eidem se subjiciat materia, ita etiæ in causis extrinsecis, nec finis intelligeretur causare actu sine actione, per quam solùm propter finem aliquid fit, adeò etiam efficiens & finis in causando à se invicem dependent, ut ait S. Th. 5. Met. lec. 2. Est igitur, ait, efficiens causa finis, finis autem causa efficientis, efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia movendo perduxit efficiens ad hoc ut sit finis, finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis, nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis, unde ex fine habet suam causalitatem Efficiens &c. Expressius autem nostram sententiam tradit S. D. q. 22. de Verit. a. 2. sicut, inquit, *influere Causæ efficientis est agere, ita influere Causæ finalis est appeti seu desiderari:* ut adeò sicut efficientis Causalitatis est actio, ita causalitas finis sit ipsa bonitas actualiter concurrens ad hoc ut gratia finis actu aliquid ab efficiente fiat.

S. 2. Actio agentis non potest esse causalitas finis, neque illa enim positæ finis actu causare intrinsecè intelligitur, & actio tan-
tum est id, quo posito redditur causa finalis quasi extrinsecè cau-
sans, per quod autem finis causat debet esse fini intrinsecum, imo
si causæ realiter distinctæ realiter distinctas causalitates habent, &
alia virtus causandi in efficiente, alia itidem in fine reperitur, di-
versa quoque ut sit utriusque causalitas necesse est; præterquam
quod actio ad finem comparata non sit nisi posterius aliquid & ve-
lut effectus finis ab ejus causalitate causata: deinde finis mediate
tantum causet allieando suā bonitate causam efficientem, ut ali-
quid finis gratia agat & operetur, siquidem efficienti solùm pro-
prium est causare immediatè & per se largiendo esse ei, cuius est
causa, unde cum necessariò in se debeat esse præhabere & effectui
præexistere, Finali tamen causæ necessarium hoc non est, nisi quod
sit bonum quoddam possibile, & non omnino non ens: Omnia a-
gentia naturalia agunt propter finem, sola tamen agentia intelle-
ctualia formaliter agunt finis gratia, Bruta nonnisi materialiter

ut erga bonum apprehensum cognitione sensitivâ; reliqua agentia merè naturalia omni cognitione carentia magis aguntur in finem ab Auctore naturæ intentum, quâm ut ullo modo se ipsa agant in fidem.

VESTIGIVM QVARTVM.

Aetio & Passio tam inter se quâm à Motu ratione solùm distinguuntur.

DISQUISITIO.

S. I. **M**otus præcipua passio Corporis naturalis, est actus entis in potentia, quatenus in potentia: Est proindè Motus formaliter actus imperfectus inter potentiam & actum perfectum medius, tendens ad ulteriorem actum in suo saltē genere perfectum, unde 3. ph. lec. 5. ait S.Th. quod sit inchoatio quedam actus perfecti, in eo quod movetur, sicut in eo quod dealbatur iam incipit aliud esse albedinis. & amplius l.c. lec. 2. ita explicat naturam Motus: Eorum enim quæ sunt, aliud est in actu tantum, aliud in potentia tantum, aliud vero medio modo se habens inter actum & potentiam: *Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur, quod autem iam est in actu perfecto non movetur, sed iam motum est: Illud igitur movetur quod medio modo se habet inter puram potentiam & actum, quod quidem partim est in potentia & actu: sic v.g. calefactio in calefactibili existens est motus, non quidem secundum id quod actu iam existens ordinem habet ac potentiam ad ulteriorem actum, quam potentiam si à calefactione adimas, nec calefactio amplius motus erit, nec calefactibile amplius sub motu, sed sub motu termino, & proindè si motum pariter contempleris secundum ordinem tantum, quem ad ulteriorem actum dicit in ratione potentiaz, perfecte & adæquate rationem motus nunquam concipes, ut sic enim totam rationem motus non includit, sed rationem principij ad ulteriorem motum duntaxat: unde non definitur motus, potentia entis existentis in potentia, nec actus existentis in actu, sed actus existentis in potentia. Quando vero jam omne imperfectum sub eodem genere cadit cum perfecto*

(3. ph.)

(3. ph. lect. 1.) non quidem sicut species sed per reductionem, necessariò motus in illo prædicamento reductivè ponetur, in quo est quod terminat motum.

§. 2. Actio est actus agentis ut agens est, Passio est actus patientis ut patiens est, sive explicatiùs: actio est actus hujus in hoc, vel agentis in passum, Passio verbè est actus hujus ab hoc, seu patientis ab agente; & hoc convenienter, quia finis uniuscujusque est actus ejus & perfectio juxta D. Th. 3. ph. lec. 5. Quare cùm agens ut tale sit Ens actu; jamque perfectum in se, nullam ab actione intrinsecam perfectionem acquirit, nisi forsitan secundùm nostrum intelligendi modum & per rationem, & idcirco Actio quidem est actus agentis, nō tamen quod perfectio illa sit in ipso agente, quod solùm extrinsecè denominat; nihil siquidem prohibet in his, quæ relationem important, aliquid ab extrinseco denominari, sicut aliquid denominatur locatum à loco & mensuratum à mensura, ut tum alibi, tum r.p.q. &c. a. 4. docet S. Th. Interea tamen, si de actio agentis perfectio, actio tamen propriè non est de prædicamento actionis, sed solùm Grammaticalis. Rursùm autem Patiens habet se ad passionem ut ens in potentia ad actu sibi intrinsecum, & consequenter jam actus, ut procedit ab agente in Passum, est Actio, ut verò recipitur in Passo, est & dicitur Passio: pariter uti motus quævis est à movente aliquo, & in aliquo quod per ipsum movetur, diversaque ratione est actus moventis & mobilis. Actio itaque & Passio secundùm rem sunt idem numero motus, quamvis ratione diversa: quod ex S. Th. 3. phys. lect. 5. disces, maximè ex opusculo. 48. *Calor in aquam ab igne inductus, quantum ad esse suum consideratus, est forma (quæ est terminus motus) est in tertia specie qualitatis, consideratus autem secundùm quod est in fluxu, scil. quia magis & magis participatur in aquam, dicitur Motus: secundùm quod verò habet respectum ad ignem, ut ad causam efficientem, est Actio & dicitur Calefaction, secundùm quod autem importat respectum ad aliquod recipiens, sic dicitur passio: & r. p. q. 45. a. 2. ad 2. dixit: quod actio & passio convenienter in substantia motus, & differant solùm secundùm diversas habitudines ut dicitur in 3. ph. Cui minimè repugnat, quod q. 44. loc. cit. asserit, scilicet Passionem esse effectum actionis, ibi e-*

nim non intelligit causam propriè dictam, sed tantùm secundùm naturalem consecutionem, ut cit. opusc. 48. c. 1. satis insinuavit, nisi malis nobiscum dicere, quod ibidem accipiat actionē pro ipso principio activo proximo. Neque aliquid evinces, si dicas eundem actum posse esse in diversis. v. g. docere in docente & doctō: non diffitemur posse rem ita se habere, sed juxta diversum respectum, vel maximē in ijs, quæ in ordine ad alterum sunt, ita Actio est in agente *ut ab illo, in Patientē ut in illo, ita, doctio & receptio doctrinæ vel scientiæ sunt idem realiter & in recto saltem, nisi doctrinam sumas pro ipso actu intellectū in docente, vel pro locutione &c.* Ex his habes, quod Actio secundūm rem sit in Patientē, secundūm rationem verò seu per respectum in obliquo in agente.

VESTIGIVM QVINTVM.

Locus est superficies corporis continentis prima, & immobilis motu ad locum.

DISQUISITIO.

VIdetur aliquid magnum & difficile locus ait l.4. tex. 40. Arist. unde ad ejus naturam investigandam, censet quasi ex suppositionibus nonnullis locum esse. *Primum, Continentem, nihil ipsius, quod in eo locatur, & ut primum locum, adéquatum vel æqualem locato, nec majorem nec minorem, denique non deficere unicuique locato proprium locū, & omnem locum esse sursūm vel deorsūm.* Quaritur autem locus ab Aristotele propter motum secundūm locum; corpora enim naturalia non moventur nisi ad loca sua naturalia ut in ijs quiescant, unde locus definitus supra, solummodo est affectio & quædam corporis naturalis proprietas, quæ à corpore appetitur, ut in loco quiescat: & hinc non statim omne quod est, indiget loco determinato ut extremo conservante, ideo nec omne quod est, in loco est, ut lib. 4. spectatur, qui propriè solūm terminus est motus naturalis sursum & deorsum. Locus autem est conservans & formans locata, propter quod dicitur, quod unumquodque corpus naturaliter movetur ad locum

*locum suum, tanquam ad conservativum sui esse ait S. Th. opus. 54. Locus verò superficies prima est, respectu corporis contenti, unde locus *primum ac proprium*, qui non est nisi unius locati, cum locus communis sit plurium, immobilem locum esse oportet; nam si mobilis esset, nullum corpus moveretur per se, sed per accidens tantum, quod enim in alio movetur, cum ipso alio, quod movetur, per accidens movetur, ut aqua in vase.*

§. 2. *Superficies quæ est locus, eā ratione immobilis est, quia immobilis est motu ad locum, ut adeò locum esse immobilem aliud nihil sit, quām ex fine & conditione suæ naturæ non moveri cum contento. Non dicimus locum omni omnino modo immobilem esse oportere, quis enim tum in universo locus foret? quia omnis locus mixtorum proprius violenter moveri potest, aut certè per accidens, sicut etiam Cœlum, quod est locus ignis, rapi in orbem certò constat: quare cum immobilitas loci sit ob conservationem locati, ne si locus sponte suā à locato diffueret, id interiret, aut sine stabili fixaque quiete intercideret, in loco proinde naturaliter permanendi vim natura locato contulit, et si non caverit quo minus violenter depelli posset, ita pariter tribuendo naturalem quietem ac immobilitatem loco satis ad finem conservationemque locati præstítit, quamvis non providerit, ne per vim & præter naturam suam à locato divelli queat. Igitur locus ex naturæ suæ conditione ac fine eo modo debuit esse immobilis, quo corpora naturalia, quæ in loco apta sunt esse, sunt mobilia. Quia verò mobilia sunt motu ad locum sursùm ac deorsùm, idcirco & locus debet esse immobilis motu ad locum, sursùm nim. & deorsùm, eò enim moventur quæ ad locum moventur. ideo impossibile est, cuius nequè est motus sursùm nequè deorsum, Locum esse. 4. phys. tex. 19. Hoc Arist. idem te docebit; ut enim quoad aliqua locum & vas convenire ait, eo tamen differre docet cap. 4. quod vas sit locus potens transferri, locus verò vas immobile, quod igitur vasi tribuit ut possit transferri, id à loco removens, exinde immobilem locum affirmat.*

§. 3. *Locus propriè est tantum gravium & levium, ita enim Arist. c. 4. docet omnem locum habere has differentias supra & infra, & quodlibet corpus ad locum suum naturalem ferri vel sur-*

sùm sc. levia, vel deorsum ut gravia. non igitur de omni loco, quem vulgus putat & nominat, nobis sermo est, sed de eo, qui naturalibus corporibus est forma quædam extrinseca & conservativa illorum affectio, quæ alias periculo interitus obnoxia forent, nisi locus defestum generantis, quod effectum seipso perpetuare, non potest; suppleret tanquam conservans extrinsecum. Totum Cœlum & universum non est alicubi seu in Loco ait tex. 45. Aristoteles. Quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & adhuc a liquido aliud esse oportet præter hoc, in quo sit, quod continet, præter autem universum & Cœlum nihil extra est. Unde advertas licet, quam malè immobilitatem loci nonnulli hodiè à spatio imaginario quod extra Cœlum fingunt, desumant: Cum dicimus ait 12. Metaph. lect. 6. D. Tho. quod extra cœlum non est corpus, quod dicimus Extra, non est quid nisi imaginatum. igitur extra cœlum non oportet ponere locum, licet Extra, locum videatur significare: dicere autem universum esse in spacio imaginario, est dicere esse in nihilo, & desumere inde immobilitatem loci, est nihil ad naturam loci inferre. Quando verò S. Tho. ad tex. 41. docet locum secundum formale suum esse immobilem cum respectu distantiae & secundum relationem corporis ad duos polos & puncta gemina Zenith & Nadio, non admodum aduersatur Aristoteli, cum hisc propter vulgi plebeculam & communes Philosophorum imaginaciones de mixtorū corporum vulgari loco loqui censendus sit. Qui porrò cum Scoto docent locum esse immobilem moraliter & æquivalenter, prout succedens superficies eandem loci rationem exerceat, quam præcedens, non reddunt rationem Physicam immobilitatis loci, transiunt enim de genere physico ad moralia.

VESTIGIUM SEXTUM.

Tempus est numerus motus secundum prius & posterius.

DISQUISITIO.

S. I. **E**x illis quæ sunt, quædam permanentia sunt, & alia successiva: Quæ permanentia sunt habent totum esse, & omnes partes suas simul, quæ verò successiva nec

nec totum suum esse, nec omnes partes simul habent, sed in fluxu & quadam successione: Esse igitur totius temporis & singularum ejus partium non consistit in quadam permanentia, sed in successione, neque enim simul unquam ulla pars temporis existit, sicque nullum tempus, nulla pars temporis permanenti & simultaneae existentiae praesens est, sed successiva & fluente in fluxu & cursu, in perpetuâ successione posita: neque mirum tibi videatur, praesens quod in futurum transit ideo esse, quia præterit, & ad non esse properat, eo ipso esse; quomodo enim si non esset, ad esse tendere posset, cum solidum quod est, possit properare ad non esse? Est autem hæc natura Entium non permanentium seu successivorum nihil eorum permanere, aut esse simul; satis ergo successiva sunt, si prætereundo sunt, & quidem Præteritum, cuius nulla pars amplius præterit, non est: ita Futurum cuius nulla pars adhuc adest, nondum est, at verò præteritum, cuius adhuc aliquid præterit, est, & futurum cuius aliquid jam adest, verè esse dicitur: & hoc modo partes temporis sunt Præteritum & Futurum, neque necesse est, ut res quæ est, tamdiu sit, quamdiu de illâ aut loquimur, aut cogitamus; sunt enim quæ habent esse actu imperfecte, seu esse permixtum potentia, ut Motus, Tempus & omnia successiva.

S. 2. Ipsum igitur tempus praesens est, at non existentia simultanea, sed successiva, hoc autem quod in tempore præsenti praesens est, Philosopho momentum seu nunc est, extra omnem extensio- nem simplex & Indivisible. Aliter verò vulgus tempus praesens pro præteriti & futuri fluxu simultaneo accipit; unde dicunt: hac horâ ambulo, comedo &c. Aliter Seneca de tempore præsente, & philosophicè ait: *Fluit tempus, & sui deserit avidissimos, nec quod praterit meum est, nec quod futurum est, in punto temporis fugientis pendeo:* Denique si amplius dubites, quid ex tempore existat, dicimus secundum rem Nunc & Tempus, partes temporis & instans simul esse, non adæquate sicut permanens; sed inadæquate, uti unus sunt secundum rem, non autem simul esse secundum rationem, quæ ipsum Nunc à præterito & futuro sejungit, juxta quam disjunctionem rationis, nihil præter Nunc de tempore existere dicitur, et si secundum rem & Nunc & tempus simul sint: Ea porrò quæ ex tempore existunt, existunt inadæquate & incompletè, si-

cut

est actus entis in potentia, quatenus in potentia, & sicut motus: In tempore esse est mensurari a tempore, ut a numero; nam tempus numerus motus est secundum prius & posterius. quae nullo modo prius habent ac posterius, in quantum talia sunt, non sunt apta mensurari a tempore, solus motus per se habet prius & posterius. Res aeternae nihil a tempore patiuntur, neque a tempore ut a numero continentur, unde & corpora coelestia juxta quod semper sunt & in suo esse immutabilia non subduntur temporis, nisi aliquo modo secundum quod moventur localiter; secundum motum localem enim coelestium corporum partes non semper in eodem loco sunt, sed alibi semper & alibi. Itaque Tempus est Motus primi ac supremi Cœli mobilis, prout ab intellectu nostro numeratus ac in partes priores & posteriores discretus aptus est ad mensurandas actiones naturales & Motus; hinc Tempus non esset si anima non esset, quod mirum tibi videri non debet, eò quod, licet homo non sit, tamen Motus & esse, & in tempore esse possit, hoc ideo mirari non convenit, quia tempus est numerus numerabilis, omne autem numerabile est ab aliquo numerabile, quia verum nihil numerativum nisi anima, si anima non esset, nec numerabile nec Tempus esset.

VESTIGIUM SEPTIMUM.

Partes insunt potentia tantum in Continuo, non actu.

DISQUISITIO.

Continuum cuius partes communitermino copulantur, non componitur ex meris indivisibilibus cuius rationes ex Aristotele afferit 6. phys. lect. 1. S. Thom. sanè Continuum ex 1. de Cœlo est divisibile in semper divisibilia, atqui nunquam taliter habere se poterit si sola puncta v. g. in linea insint; indivisibilia enim partes non habent, quia nihil potest esse ultimum rei impartibilis, respectu alicujus partis, necesse igitur est non mera indivisibilia, sed & partes in continuo inesse,

inesse, secundum quas in infinitum possit dividii, ut nunquam sit devenire ad ultimam proportionalem, quae in alias dividi ultra nequeat: Quod si autem Continua requirunt ultima, ut quorum ultima unum non sunt, nec continua illa sunt, cum indivisibilium ultima non sint, neque continuitas ulla aut magnitudo in ijs erit, praeterquam quod etiam indivisibile additum indivisibili nullam faciat extensionem, ideo Arist. l. 1. de gen. tex. 8. Inconveniens esse, ait, ex non magnitudinibus magnitudinem esse, quando vero continuum communis termino copulatur, & hunc indivisibilem esse oporteat, siquidem alias ex se communis non foret, sed magis secundum partes alias & alias certi nexus proprius, consequitur quod nec ex solis partibus sed ex indivisibilibus simul & partibus constituatur continuum: Indivisibilia autem alia sunt copulantia, quibus scilicet partes in medio connectuntur: alia terminantia, quibus ipsum continuum terminatur ac finitur, utrumque non differunt, nisi secundum diversam rationem, prout alterius est copulare, alterius terminare: discretè tamen loqui nos intellige: omnime qualecunque continuum componi non solum ex partibus sed & ex indivisibilibus, ita ut secundum receptum & certum loquendi modum nos accipias; propriè enim & peripateticè loquendo Indivisible non est EX QVO sed magis est id QVO lineaæ partes inter se copulantur.

§. 2. Partes adeoque insunt in Continuo potentia tantum, non actu: si Aristotelem audis res in confessio est: In 8. phys. tex. 68. *In Continuo, expressè ait, inesse quidem infinita dimidia, verum non actu, sed potentia:* Aristoteli adstipulatur S. Thom. 7. Met. ad tex. 49. ubi Duo, inquit, dimidia unius lineaæ sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est una in actu. Et 9. Met. tex. 10. lect. 5. cùm post Aristotelem dixisset, Mercuriū esse in signo ante sculpturam non actu, sed potentia, subdit: similiter in aliquo toto, pars ejus, pars enim, puta medietas, est in potentia in quantum possibile est, ut pars illa auferatur à toto per divisionem totius, sed diviso toto jam erit pars illa actu: si post authoritatem Ratio placeat, eam ex Aristotelis tex. 49. 7. Met. deducere licet: *Impossibile est, ait, substantiam ex substancialiis esse, qua sic insunt ut actu, qua enim duo sic actu sunt, nunquam actu unum sunt, erunt unum, ut duplum ex duobus dimis-*

diis potentia, actus namq; separat. Ea quæ actu igitur unum sunt, non distinguuntur actu, partes in continuo sunt actu unum, actu itaque distinctæ non inerunt; ut enim unum & distinctum oppositionem habent, ita actu unum & actu distinctum, Continuum actu unum est, idcirco in partes actu distinctum non est. Quod si jam urgeant alij partibus, actualem distinctionem intrinsecè in continuo competere, dicant, cur ipsis ut in continuo insunt, repugnet divisio? quæ si non repugnat, demus continuum in omnes suas partes saltē per absolutam Dei potentiam dividi, & tum dabitur infinitum in actu, quod tamen negamus cum Aristotele: aut sanè si continuum continet infinitas partes actu, quævis illarum aut continet infinitas alias, & tunc in quovis etiam minutissimo continuo inerunt infinites infinitæ partes actu, aut si non continet, dicendum erit contra rationem, infinitum ex meritis indivisibilibus componi. Scio quod his rationibus plures Recent. se opponant, & dicant, partes in continuo inesse actu entitativo, non autem actu divisivo: sed Contra. Partem esse actu entitativo in continuo, hoc est scil. partem esse in Continuo secundum entitatem suam, atqui hoc ideo non subsistit, quia nulla pars esse est in Continuo, sed hoc quod est, non est præterquam ratione totius; solum enim totum est per se entitatem habens, non autem partes, quæ omne quod sunt, Toti debent. Partes tamen nolim ita intelligas actu non inesse in continuo, ut simpliciter nihil sint, aut in potentia tua Objectiva, vel Logica: imò insunt in continuo potentia, prout esse scil. non habent nisi ratione totius, seu ut esse potentiale habent, adhoc autem ut actu sint, actualis separatio ex ea totum accedit necesse est: Audi D. Thomam & verum cense: Dicendum ait in 4. sent. dist. 10. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad 3. quod unitas rei consequitur esse ipsum, partes autem alicuius homogenei continuo non habent esse actu, sed potentia tantum, & ideo nullam habent unitatem propriam in actu, unde in actu non est accipere ipsorum numerum, sed potentia tantum: Vides igitur quod partes, quamdiu in toto continuo insunt aliud esse non habeant, nisi potentiale tantum, non actuale, quod primùm post actualem divisionem acquirunt, unde concludit Aristoteles 7. physi. tex. 17. Continuum esse actu unum, multa vero potentia. Ex dictis conjicies, quām ineptè motus negatus

tus fuerit à Zenone, quando magnitudo potentia quidem infinita, actu vero finita, planè pertransiri actu potest in tempore finito, sicut & adhuc etiam dabitur & dari potest, magnum & parvum, multum & paucum, licet quodvis continuum sit divisibile in infinitum; quandoquidem isthæc accipiuntur secundum ea, quæ actu, non verò quæ potentia sunt. Quod si Continuum secundum se considerarent hodiè aliqui, & non prout certis est præditum accidentibus quibus actu alias unum, sit multiplex, quāvis non in quantitate sed qualitate, ratione cujus partes continui distinctio- nem habere videntur, non tam variè in novas & sine firmâ ratio- ne sententias abirent in materia de Continuo, parvum sanè negotij talibus accideret, si melius inter homogeneum & heterogeneum distinguerent: Denique quia Continui partium una quidem actu est entitas, non verò potentia, adhuc continuum secundum no- stram sententiam indivisibile non est, sed in plura dividi potest.

§. 3. Indivisibilia in medio continuo, seu copulantia insunt potentia, in fine verò, seu terminantia, actu: Quod intelligere li- cebit ex S. Thom. opusc. 36, c. 2. In hac ergo linea puncta quedam duo actu, ut eius termini, qui cadunt in eius definitionem, & infinita alias in potentia, secundum quod ipsa est in infinitum divisibilis potentialiter: Sanè indivisibilia copulantia in medio unum continuum & indis- stinctum sunt, & nulla est inibi partium separatio actu, idcirco nec indivisibilium, cùm unus idemque sit terminus copulans; et si au- tem quodvis in se indivisum sit, unum tamen ab alio adhuc divi- sum non est, cùm inter partes unum interiacens utrinque actu unum faciat. Terminantia Indivisibilia longè aliam & hanc ratio- nem habent, quod in fine Continui actu insint, uti per formalem & actualem partium disjunctionem separata esse satis apparent, sicque licet terminantia indivisibilia idem sint cum copulantibus ratione partium, ratione sui tamen ab illis actu discrepant: Et li- cèt quidem dicas punctū quod in medio plani actu tangitur à glo- bo actu esse, absolute tamen verum non dicis, nam in medio plani quod tangitur punctum non est actu perfecto, sed actu imperfecto, actu verò imperfecto est id quod per designationem dividitur im- perfectè, uti actu perfecto id dicitur, quod actu reipsâ est divisum. De Indivisibilibus inflatis, turgidis, & ventricosis litem alijs relin-

quimus, sanè ad Philosophiam peripateticam talia figmenta nec faciunt, nec sapiunt.

EX LIBRIS

De Cœlo.

VESTIGIVM VIII.

Cœlum Ingenerabile & Incorruptibile con-
stat ex Materia & Forma.

DISQUISITIO.

§. 1. Cœlum utique est Corpus simplex, substantiâ diversum à reliquis quatuor simplicibus, quod ex Arist. lib. 1. de Cœlo c. 2. & 3. probatum colligitur. Quando enim Motus simplex connaturalis debet esse alicui simplici corpori, & uni, nonnisi unus simplex connaturalis, qui dum uni est præter naturam, alteri est secundūm naturam, constabit utique motum circularem simplicem Cœlo competere, qui nulli, præterquam Cœlo est connaturalis; alijs enim inferioribus est præter naturam, & indè Cœlum erit substantiâ diversum à reliquis corporibus omnibus: Quæ Cœli substantia etiam ab intrinseco est incorruptibilis, non tantū ab extrinseco, propter debilitatem extrinisci agentis, quod tantâ virtute non præpolleat, ut Cœlum eðusque alterare possit, quò tandem aut ruat, aut omnino corrumpatur: sanè Cœlum cum sit causa perpetuitatis generacionum, vel maximè ab intrinseco incorruptibile sit, necesse est; imò si vis illa resistendi, quam nulla agentia naturalia superare possunt, est Cœlo naturalis, cur non vel maximè ab intrinseco Cœlum debeat esse incorruptibile? & hoc idcirco, quia si proprietates obstantes separatione à materia respectu cuiusvis naturalis agentis ad naturam formæ consequuntur, ipsa de se forma inseparabilitatem exigit, unde deñ ex Cœli naturâ intrinsecâ inseparabilitas exoritur, consequenter jam negabimus Cœlo materiam, quæ sit principium corruptionis.

§. 2. Cœlum est corpus simplex constans ex materia & for-
ma, non autem ex materia, quæ sit subjectum in transmutatione
& ge-

& generatione, sed quæ sit diversæ speciei à Materia sublunariorum: Arist. authoritas præsto tibi est, qui 8. Met. tex. 3. apertè ait, quod omnes substantiæ sensibiles materiam habeant, non qualemcumque, aut localem, sed quæ opponitur *Rationi* & quæ cum non quod quid actu sit, potentia est quod quid: & 12. Met. tex. 5. dividit substaniam sensibilem in sempiternam & corruptibilem, quod si autem omnis substantia sensibilis habet materiam, cur ea Cœlo negetur? & quidem non Materia ad Ubi, quod ipsum Cœlum ajunt, sed Materia substantialis, quæ potentia est *Quod Quid*; ita enim 2. de gener. tex. 51. affirmat Aristoteles, quod in incorruptibilibus ut pote cœlestibus æquè ac in sublunaribus corporib⁹ eadem sint principia saltem genere & analogicè ut explicat, D. Thom. ibid. lect. 9. Imò ipse Aristoteles 8. Met. tex. 3. dilucidè satis seipsum aperit, nim. per materiam non intelligere se ens actu, seu Materiam ad Ubi, aut quod quid actu sit, sed Materiam quæ est potentia *Quod Quid*. Si S. Thom. audis, is lib. 1. de Cœlo lect. 6. ita censet: siquidem ait, intelligat Averroës quod Cœleste Corpus non habeat Materiam secundum quod dicitur *Materia in ordine ad motum & ad mutationem*, verum dicit, & addit: si vero intelligat quod corpus cœleste nullo modo habeat materiam, vel quodcunq; subjectum, manifestè dicit falsum. Denique si Cœlum est habens naturam, non sicut accidens in subjecto, sed veluti principium intrinsecum constituens ipsum, erit utique compositum ex materia & forma, ut adeò immerito à definitione naturæ Cœlum rejiciant aliqui, in quā non frustra dicitur natura esse principium Motus, qui in 3. ph. est definitus & in 8. tantundem per rectum & circularem divisus.

§. 3. Materia Cœlestis est diversa specie à materia corporum sublunariorum; si enim Cœlum nullum inesse debet principium corruptionis, nec talis etiam materia, quælis est corruptibilem: Impossibile enim est, ait I. p. q. 66. a. 2. in c. S. Th. quod corporis corruptibilis & incorruptibilis per naturam sit una materia: & lib. 1. de Cœlo lect. 6. Oportet, inquit, in corpore cœlesti ponere aliquod subjectum sua actualitat, non tamen oportet, quod istud subjectum habeat privationem, quia privatio forma nihil est aliud, quam absentia forma, qua est nata inesse, huic autem materia seu subjecto non est nata inesse alia forma, sed una explet totam materia cœlestis potentiam, cum sit quadam totalis & univer-

*salis perfectio illius, unde Cælum non est mutabile secundum formam per generationem aut corruptionem, sed solum secundum Ubi: nisi igitur Cœlum transmutabile secundum substantiam dicere contra omnes Philosophos velis, necessariò concedere debebis Cœlo materiam, sed quæ non sit privativa formarum substantialium, sit autem potentia Quod Quid. Idem ab Arist. intelliges qui i. de gen. tex. 87. ait: *Quodam verò agunt, & non patiuntur, nimirū quibus eadem materia non est: Cœlum verò agit & non patitur secundum physicas alterationes & transmutationes, habebit igitur diversam à sublunaribus & corruptilibus materiam: Hoc ipsum idem Philosophus 12. Met. tex. 10. adstruit, quāvis alij contrarium, inde elicere conentur: Cuncta verò quacunque mutantur, ait, materiali habent, sed diversam, nam & ipsorum sempiternorum quacunque non sunt generabilia sed latrone mobilia materiam habent, attamen non generabilem, sed unde QUO.**

Quibus verbis hoc vult Aristoteles scilicet aliam materiam esse generabilem, & aliam loco mobilium tantum, quæ in Cœlo inveniatur ex motu locali deprehensa: non vult autem materiam motus localis quasi formaliter acceptam. Cœlo solum inesse, quæ immēdiatè motui locali subjiciatur, nihilque aliud quā ens actu sit, sed quod materia localis motus quasi causaliter sumpta, prout nimirū ei quod illam habet, causa est, ne alium præter motum localem recipiat. Cœlo in sit, quæque materia secundum se ens actu non sit, sed materia subjicibilis, & potentia mere receptiva; atque in hunc finem ad calcem cap. 1. 8. Met. scribit Aristoteles, non esse necesse, si quid materiam localē habeat, hoc generabilem & corruptibilem etiam habere; Censemus igitur omnino in Cœlo dari materiam subjicibilem, eamque esse potentiam merè receptivam, seu quæ potius subjectum cum Græcis dici debeat, in quantum semper actum suum ut præsentem expicit, diversæ speciei à materia sublunari, cùm propter formam quā ut universali & totali perfectione penitus exsaturatur, cùm etiam propter ordinem, quem ad talem formam, unde talis materia rationem suscipit, consequenter dicit.

§. 4. Non adversatur nobis Arist. quando g. Met. cap. 5. nec omnium, ait, materia est, sed quorūcunque generatio & transmutatio in vicem sunt, quacunque verò absq; eo quod transmutentur sunt, aut non,

non, horum materia non est. Hic enim disserit de illis solum, quæ absque generatione & corruptione sunt, aut non sunt, ut puta, inquit, puncta si sunt quidem, & omnino species & forma. Cœlum verò nec est ex ijs quæ sunt & non sunt, nec ex ijs quæ sunt & non sunt sine generatione & corruptione: Et licet verò, à Primo Motore utpote sempiterno omnem removeat materiam 12. Met. tex. 30. non tamen à Cœlo utpotè secundum Motum sempiterno omnem, etiam materiam ademit, cui materiam localem sepè concessit, non tamen primo Motori, huic omnem materiam adeò denegavit, quod operatio illius non differret ab ejus substantia. Nec iem si operabitur inquit, (Motor primus) substantia verò eius potentia sit, motus erit perpetuus. Quod autem 8. Met. tex. 17. dicit Aristoteles æterna esse priora corruptilibus secundum substantiam, nihil verò potentiam æternum esse, unde aliqui colligere conantur in Cœlo utique incorruptibili nullam reperiri posse potentiam, eò quod omnis potentia contradictionis sit, nihil enim verò materiæ Cœlorum derogat: Eo enim textu integro Aristotelis mens hæc fuit, probare potissimum actum priorem esse potentiam, cui firmando inter alia hoc etiam argumentum usurpavit, quia scilicet æterna priora sunt corruptilibus, eò quod æterna habeant se ut actus, corruptibilia ut potentia, de quâ proinde potentiam asserit, nihil potentiam æternum esse, quod autem Aristoteles simpliciter subjunxit, omnem potentiam contradictionis esse, absque addito & non tantum corruptibilem, ideò absolutè pronunciat, ut eò clarior esset probatio, quâ de causâ solet frequenter universales propositiones formare, quando illæ in eâ re, de quâ pertractat, universim veræ sunt, etsi hujusmodi propositiones falsas esse contingat, si extra contextum rei, de qua propriè quæritur, universaliter proferantur: Et ita vult quod omnis potentia corruptibilem contradictionis sit, seu ad esse & ad non esse.

SS.

EX

EX LIBR.

De Generatione & Corruptione.

VESTIGIVM IX.

Terminus simpliciter Generationis, est Compositum, seu Substantia actu.

DISQUISITIO.

S. I. Generatio simpliciter est mutatio è substantia potentia in substantiam actu; ex tex. 25. Aristotelis. Subjectum verò Generationis simpliciter est substantia potentia seu materia prima, ut constat ex tex. 24. ita ut Terminus à Qvo sit Privatio, seu non substantia actu, Terminus porrò ad Quem, nec est Forma, nec Vnus Modalis, sed ipsummet Compositum: siquidem 7. Met. tex. 26. expressè docetur formam nec fieri nec generari: Manifestum est, ait, Averroës Comment. 26. quod agens, si facit, facit ex alio aliud, non aliud in alio, facit enim ex materia formatum, non in materia formam: Merito igitur est causa multorum errorum ista credulitas, inquit, Zimara Theorem. 112. scilicet, quod forma per se primò terminet in esse reale actionem agentis: si rationem exoptas, hanc ex communi Peripateticorum consensu accipe: Generari est ex alio fieri, fieri autem ex alio per se nullum est, nisi ex parte sui; in omni enim quod fit, inest materia ex 7. met. tex. 27. Et: Ex hoc aliquid fit per se, quod inest rei, postquam iam facta est, ait D. Thomas 1. phys. lect. 14. Vnde deduces, quod si forma fieret, ex alio fieret, si ex alio, tunc ex materia & formâ fieret, & haec rursùm ex aliâ, sicque in infinitum. Quandoquidem igitur forma non generatur, neque Terminus generationis simpliciter esse poterit, qui ex ipsorum etiam Adversariorum concessione aliis non est, quam id, quod generatione producitur, uti testatur Mendoza Disp. Phys. 11. sect. 6. §. 35. At, nunquid oppones: formam non esse quidem Terminum *Quod*, esse tamen terminum *Quo*, seu proximum? sed nihil efficis; Terminus enim proximus pro-

ximè generari censetur, hujusmodi forma non est, immò neque forma ita est *Terminus QVO*, quasi *QVO* priùs generato, generetur aliud, sed est *QVO*, in quantum est id, Quo constituitur quod generatur, atqui hoc aliud non est esse nisi formam *Termini*. Quid nec unio, & quidem ut fingitur *Modalis*, *Terminus Generationis* sit, non multum est quid ambigamus, siquidem talem in rerum naturā esse, omnino necessarium non est, quando ea, quorum unum est potentia & alterum actus, immediatè sine aliquo tertio intermedio unum fiunt & sunt; & esto daretur talis unio *Modalis*, ea tamen terminus generationis esse non poterit, quandoquidem sicut & forma, ita unio non generatur, sed *Compositum*, aut sanè si terminus generationis foret, etiam in Alteratione, Augmentatione, unionem admittere contra omnem Philosophiam deberent Adversarij, cumq[ue] hoc modo *Generatio*, utpote *Unio* in fieri etiam sit *Modus*, ergo *Modi* erit *Modus*, & illius alius, ac ita deinceps.

S. 2. Quandoquidem autem solum *Compositum* propriè & simpliciter tantum dicitur generari, cùm per generationem simpliciter accipiat esse, etiam solum *Compositum* erit simpliciter terminus generationis, quare *Manifestum* igitur ex dictis est, ait 7. Met. tex. 27. Aristoteles, quòd illud quidem quod ut *forma* aut *substantia* dicitur, non fit, copulatio verò quæ secundum hanc dicitur fit, & quòd omni quod fit *materia* inest: Ex quo contextu satis claret, solum *Compositum* propriè fieri, ut adeò frustra aliqui conentur exinde suam Unionem *Modalem* fulcire, quasi per *Copulationem* ab Aristotele insinuatam: sicuti æquè sinistro conamine eandem ex generatione humanā elicere nituntur, quasi verò non totus homo, sed ipsorum *Unio Modalis* generetur, quando materia præsupposita anima rationalis non educitur è potentia materiæ, sed creatur, sic quæ putent, nil aliud per generationem præter unionem modalem produci posse: Falluntur autem maximè, siquidem necesse non est, ut in quavis mutatione terminus formalis eadem actione productus affigetur, quando, ut etiam in proposito, contingit, ut tali mutationi alia actio subordinetur, per quam terminus formalis producitur, sicut generationi hominis subordinatur creatio, quæ est productio animæ rationalis, unde adhuc homo generat.

hominem, et si ipsa generatione anima rationalis non producatur, per quam quidem non habet, ut sit, habet tamen ut in materia sit, in quantum materia ad hoc, ut aptum subjectum animae rationalis, seu formae evadat, per generationem disponitur, ut exinde sine tertio aliquo vinculo ex materia, utpote potentia & anima rationali tanquam actu, fiat Compositum, & unum simpliciter in genere substantiarum, ut adeo effectivè concurrat Deus & homo generans, hinc quidem, prout materiam disponit quod usque aptum fiat subiectum animae rationalis: Deus vero creando animam rationalem, eamque infundendo corpori, virtus enim activa, quae est in materia, non extendit actionem suam ad producendum effectum immaterialis, tota tamen natura corporalis, ait S. Th. i. p. q. 118. a. 2. agit ut instrumentum spiritualis virtutis, & principium Dei, & ideo nihil prohibetur, quin formatio corporis sit ab aliqua virtute corporali, anima autem intellectiva sit a solo Deo. Porro generationum naturalium efficientis causa universalis & prima, est Deus, secunda vero Caelum, principium Sol, particularis ipsummet generans, ob conservacionem speciei, tanquam finem generationibus naturalibus praestitum:

S. 3. Formalis ratio Generationis, ut est mutatio, non consistit, nisi in praevijs dispositionibus materiali ita perfectis, ut novum esse substantiae exinde consequitur, quare eatenus homo dicitur generare hominem, in quantum, ut ait. D. Th. q. 3. de pot. a. 9. ad 20. generans disponit corpus ad hoc, ut sit particeps hujus Esset: Neque putas hanc generationis rationem formalem juxta aliquid extrinsecum duntaxat assignari, siquidem hoc agendo generans, tale formaliter intrinsecè constituitur: non distinguimus igitur Generationem ab Alteratione praevia realiter, sed Generatio ut mutatio & actio substantialis, eandem specie successivam in tempore mutationem cum Alteratione asserimus, & quae prout pro termino immediato habet qualitatem, Alteratio: prout vero pro termino ultimato seu principaliter habet substantialiam, Generatione sit ac dicatur, ita ut ipse momentaneus substantiae ortus non sit actio, sed actionis terminus, cum sit ipsum mutatum esse, non autem vel mutari, vel fieri. Quare frustra alij etiam distinguunt Generationem ab Alteratione praevia, eò quod sit quedam de non esse ad

se ad esse mutatio : *Enim verò Generatio etiam sub hac ratione non potest esse nisi ab Agente & consequitur Actio, ac Alteratio ; agens enim non agit nisi mediantibus accidentibus, & ideo nec sic quoque generatio diversa re mutatio est ab Alteratione præviā, sed ratione solum & secundūm diversum respectum.*

VESTIGIUM X.

In Corruptione substantiali nullā remanet aut substantialis aut accidentalis forma.

DISQUISITIO.

S. I. **C**Generatio unius est Corruptio alterius, & Corruptio unius Generatio alterius, siquidem plures formas substanciales simul in eadem materiā esse impossibile est, quare Generatio est formæ subsequentis introductio ; Corruptio verò formæ præcedentis depulso, ut adeò generatio & corruptio realiter sit una numero actio, ratione verò seu formaliter duas diversas; neque enim habent duos realiter diversos terminos Ad Qvos, sed ratione tantum & formaliter. Et sanè realiter diversæ mutationes si essent, nunquam possent terminari in instanti, cum tamen in uno eodemque instanti forma prior expellatur, & posterior introducatur, ne aut materia omni formâ destituta in nihilum recideret, aut sine actu, actu existere contra omnem rationem diceretur. Itaque juxta Cursum naturæ consuetum eo ipso dum generatur aliquid, necesse est, ut aliquid corrumptatur: Quod satis à pari deducit S. Th. 1. 2.^o q. 113. a. 6. ad 2. dicendum; inquit, *quod Gratia infuso, & remissio culpa dupliciter considerari possint; uno modo secundūm ipsam substantiam actus, & sic idem sunt, eodem enim actu DĒVS & largitur gratiam, & remittit culpam. Alio modo possunt considerari ex parte obiectorum, & sic differunt secundūm differentiam culpa, qua tollitur: sicut enim in rebus naturalib[us] Generatio & Corruptio differunt, quamvis Generatio unius sit Corruptio alterius: adeoque sicut idem numero actus est, quo DĒVS dat gratiam, & remittit culpam, pariter idem numero reipsā actus censer debet,*

quo generans dat formam consequentem, & antecedentem corruptit, seu potius, quo generans generat totum, & simul alterum totum corruptit.

§. 2. Materiam in corruptione substantiali denudari ab omni formâ substantiali, natura ipsius Corruptionis satis evincit; siquidem enim Corruptio hæc, Mutatio est è formâ substanciali actu, in non substanciali actu, penitus denudari materiam ab omni formâ substantiali, necesse est; aliàs enim manente quacunque formâ substantiali, maneret substancialia actu, sicque nulla simpliciter Corruptio foret. Iccirco uti generatio solâ formâ substancialis ad materiam additione substanciali actu efficit, ita Corruptio actu substanciali à materiâ removens ac resolvens, è substanciali actu non substanciali actu causat; imò si per Corruptionem substanciali adeò oportet totum transmutari, *ut non remaneat aliquid sensibile tanquam idem subiectum ex Aristotele 1. de gen. tex.*

23. quando præexistens aliqua forma substancialis remaneret in corruptione subiecti, illicò etiam idem adhuc subiectum sensibile perduraret, idem ens actu, adeoque nec mors animalis v. g. hōcce modo simpliciter Corruptio esset. Unde quoad elementa quidem, quando corrumptur, vix est, qui dubitet, ea tum immediate in materiam resolvi; Mixta vero in eandem mediata, proximè vero in elementa resolvi censenda sunt: denique in viventium & animalium corruptione, quam Mortem dicimus, omni etiam formâ substanciali materiam penitus exūi, & spoliari omnino asserimus, ut adeò nulla vel forma Corporeitatis Scotistica, vel partiales substanciales formæ, unquam remanere possint; hascè enim ficticias & frustra excogitatas esse, facile dispiciēs, si serio rationem adverteris, quod tunc, si hujusmodi formæ essent, nulla simpliciter esset aut Corporis aut substanciali generatio; neque enim Corpus sit ex actu corpore, nec ex actu substanciali generatur substancialia; præsupposita enim tali formâ Corporeitatis in materiâ, specifica talis superveniens, nunquam largiretur Esse simpliciter materiæ, neque primum & simpliciter Esse communicaretur materiæ, sed solummodo secundarium & tale esse. Pariter formas illas partiales substanciales & organicas, licet totali subordinatas, ut ajunt, esse superfluas, ex illo inter cætera satis conjicies, quod esse corporis or-

ris organicis non proveniat nisi ab animâ, quæ sicut virtute continet animam sensitivam & vegetativam in homine, in brutis autem vegetativam, utpote inferiorem, ita virtute quoque continet formas inferiores, & facit ipsa sola quidquid imperfectiores (partiales) aliàs facerent, ut docet S. Th. 1. p. q. 76. a. 4. Quare animâ è corpore abeunte dum moritur animal, semper fit resolutio formarum substantialium usque ad materiam primam, ita tamen ut illicò nova forma substantialis, scilicet Cadaverica in materiâ succedat, per quam Corpus vivum & mortuum specie differre incipiunt, ut cum Arist. sàpè docet S. Th. maximè loco cit. a. 5. ad 3. Et 3. p. q. 50. a. 5. Neque sanè est, cur multùm huic formæ Cadaveris diffidas, & de causâ producente vel generante hæsites: Eñim verò viventis corruptio rectè dicitur esse causa Cadaveris, et si non particulari virtute suâ, tamen eâ, qua universalis virtute præditum est, ut membrum universi, ad præcavendum in materia vacuum, quâ virtute quamvis Universi partem præditam esse æ. quum censeri debet; & sanè longioris vel majoris temporis alteratione, ad Cadaveris, utpote imperfectissimi Corporis generationem, opus non est, quam ad viventis corporis interitum, quando animal quandoque citò nimis exanimatur.

S. 3. Accidentia tunc destrui penitus necesse est, quando proprium illorum subjectum, scil. totum Compositum corruptitur, quod in Corruptione substantiali fieri, dum ex substantiâ actu fit non substantia actu, satis liquet. Non frustra ergò docet Arist. 1. de gen. tex. 12. impossibile esse, ut, si materia non sit actu substantialia, aliquid aliorum accidentium sit, aut insit: Ejusdem mentis D. Th. est, quando 1. p. q. 76. a. 6. ait: *Quòd si anima intellectiva unitur corpori; ut forma substantialis, impossibile est, quòd aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus & animam, vel inter quamcunq; formam substantialiem & materiam suam:* Rationem hujus hanc habet: Materìa est in potentia ad omnes actus, tam substantialies quam accidentales, oportet itaque ut ordine quodam eosdem respiciat, & ut id quod est primum in actibus simpliciter, primò in materia intelligatur, sed primum inter omnes actus est *Esse*, impossibile igitur est, ut materia prius intelligatur esse calida vel quanta, quam esse in actu: hoc porrò *Esse* in actu habet per formam substantialiem, omnino igitur

frustra ponuntur ullæ dispositiones accidentales præexistentes in materiâ ante formam substantialē; hoc autem contingere si maneret ullum accidens in genito, quod prius inerat in corrupto, aut igitur in corruptione substantiali dicendum est, omnes quoque formas accidentales interire, aut falsum pronuntiare commune illud Philosophorum axioma, quo ferunt: accidens non migrare è subjecto in subjectum, quod tamen est manifestis adversari, maxime D. Thomæ 3. p. q. 77. a. 1. & quando accidentia accipiunt numericam distinctionem suam à subjecto, scil. composito: Et quamvis quidem non unus scrupulus Adversarios vexet, quomodo nimirum communè aliud axioma ex nostrâ sententiâ salvati possit, cùm dicitur: formam non recipi nisi in materiâ disposita, quando forma adveniens ab omnibus prævijs dispositionibus materiam viduatam invenit; aut cur hæc potius quam alia ad indifferentem & penitus spoliatam materiam, forma sequatur. Non tamen est quodd multum hæsitent; dicimus enim cum D. Th. quæst. de spiritual. Creat. a. 3. quodd materia prout nuda consideratur, in differenter se habeat ad omnes formas quidem, sed quodd determinetur ad speciales formas per virtutem mouentis, ut traditur in 2. de Gener. recipiturque adhuc forma in materiâ disposita per præcedentem alterationem, & per illam inductam virtutem, quæ virtus generantis per se primò est propter generationem, quamvis etiam sit propter Corruptionem veluti propter medium ad generationem necessarium, & per se secundò.

VESTIGIVM XI.

Intensio propriè tantum fit per majorem radicationem Qualitatis in subjecto.

DISQUISITIO.

Intensio est qualitatis præexistentis in subjecto
§. I. quædam auctio seu perfectio: reducitur ad Alterationem; siquidem qualitates contrariae, quæ sublunaribus corporibus per Alterationem inducuntur, Intensione in iisdem sub-

subjectis crescunt & augentur; quando aliqua de novo in subjecto aliquo qualitas producitur, Alteratio est: cum producta & jam præexistens augetur, Intensio est: quando imminuitur viresque amittit, diminutio est. Est quidem Intensio augmentum, sed non ex ratione, sicut Extensio, et si secundum utramque qualitates in subjecto crescere possint. Extensione crescit qualitas, ubi plures subjecti partes occupat, sequente ad plures partes extendit, quando existenti in prima subjecti alicujus parte v. g. albedini, albedo nova superaddita reliquas etiam albas reddit. Intensione vero augmentum qualitatis exurgit, quando albedo vel qualitas ita incrementa suscipit, ut una subjecti pars & eadem, semper magis ac magis albescat. Quomodo porrò hoc modo Intensio fiat, admidum intensa inter Philosophos disceptatio est. Nos sentimus Intensionem tunc propriè fieri, quando subjectum magis vel minus terminatur actu illo seu qualitate, ut adeò Intensio formaliter aliud nihil sit, quam potentia, quam subjectum est capax formæ, major perfectio, prout unam & eandem formam magis, vel minus perfectè participat, non quod absolute & in abstracto dicamus qualitatem augeri, vel intendi secundum essentiam suam, sed in concreto & consecutivè ad essentiam qualitatis, prout de natura accidentis propriè est, inesse, unde & propriè intendi dicitur; Quod S. Thomas 1. 2. q. 53. a. 2. ad 3. innuit: sic igitur id, ait, quod convenit accidentibus ex parte subjecti, non autem ex ipsa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abstracto, sed in concreto, & huiusmodi est Intensio & Remissio in quibusdam accidentibus, Unde albedo non dicitur magis & minus, sed album. Et 6. Phys. lect. 7. idem adstruit, Divisio albi per accidens, potest esse duplex, uno modo secundum partes quantitatis, sicut si superficies albi dividatur in duas partes, album per accidens divisum erit, alio modo secundum Intensionem & Remissionem, quod enim una pars sit magis vel minus alba, non est ex ipsa ratione albedinis, quia se est separata, non diceretur secundum magis & minus. Quare cum 1. 2. q. 52. a. 1. dixisset, quod in quantum perfectio forma attenditur secundum participationem subjecti, dicatur magis & minus, art. 2. mox subdit: Quod Intensio fiat per hoc, quod subjectum magis ac magis terminetur illâ formâ, & magis participet illam, si ve ut habet. q. 1. de verit. a. 11. per hoc quod subjectum magis reddatur in actu ipsum qualitatem:

S. 2. Intensionis natura hæcce una est, quod sit potentia, quæ subjectum est capax, major perfectio, in quantum subjectum secundum eandem qualitatem, nunc magis nunc minus est actu. ut igitur nec Calor, nec quævis alia forma accidentalis esse habet, præterquam quod illius esse, sit inesse, unde subjectum deinde per calorem esse habet, nimurum calidum; pariter nec forma magis minus quam sui esse habet, sed subjectum secundum formam suam magis minusque est tale; ut adeo Calorem augeri secundum esse, vel esse majorem ac intendi, aliud non sit, quam magis inesse, ac cum in circo potentia ad esse per qualitatem magis minusque expletar possit, per solam actuationem qualitatis, quæ magis actuabilis erat subjecti capacitate, satis constat Intensionem propriè fieri, etiam sine additione novæ alicujus qualitatis. Quod ex D. Thomamplius manifestum fiet; Ita enim I. 2.º q. 52. a. 2. ad 3. differit: *Ante qualitatis adventum subiectum est in potentia, ad formalem effectum qualitatis, qui est esse calidum v. g. quem ubi semel recepit, iam non est in potentia, sed in actu formalis, quem caloris species dare potuit, quam quivis calor conferre potest. ut sic igitur in actu iam existens subiectum, non potest aliquid recipere, quod speciem caloris contineat, neq; enim ad hoc est in potentia, sed ut subiectum fiat magis tale, nihil forma addi debet, verum ipsum subiectum tunc magis ab eadem formâ subigitur & expletur.*

S. 3. Qui Intensionem per additionem novæ contrariæ qualitatis priori corruptâ & expulsâ fieri dicunt, audiendi non sunt, cum secundum Philosophiam peripateticam non sentiant: Rationem contrariam apponimus, ut è contrario magis dilucide sapiant, ijsdem ex D. Thoma I. sent. dist. 17. q. 2. a. 2. ad 3. quando ita se explicat S. Doctor: *Dicendum, inquit, quod non est de ratione Intensionis alicuius qualitatis, quod sit per remotionem à contrario, sed hoc accidit qualitati secundum quod inest in subiecto participante contrarium. Et subdit: quia nimurum accidentis non corrumpitur nisi per se à suo contrario, vel per accidentis à corruptione sui subiecti, vel causa conservantis, sed in Intensione precedens qualitas non corrumpitur à suo contrario, nec propter defectum subiecti & causæ: Quidni igitur nullo modo corrumpatur? Esto contrarium frigus abiiciatur, quando major calor introducitur, nunquam tamen hujusmodi abjectio erit majoris caloris roboratio, sed naturaliter & concomitans, ac in tan-*

tum se habebit; in quantum abjectionem frigoris, caloris perfectio aliqua consequitur. Igitur ad naturam Intensionis unum hoc, & plus non exigitur, quam ut per eam qualitas ducatur de imperfetto, ad esse perfectum, vel maximè absque cōtrarij abjectione hoc fieri poterit; unde meritò concludimus cum D. Thom. quod tantum accidat qualitati, quod secundum quod est in subiecto participante contrarium eius intensio fiat per abiectionem aut remotionem a contrario. Quod si hæc non sufficiant, & dicas: quod sicut in omni Mutatione, ita & in Intensione Terminus A Qvo scil calor remissus abiici debeat, & calor intensus seu terminus Ad Q^vEM acquiri: opponimus quod etiam in Intensione Terminus A Qvo sit calor remissus, sed in concreto duntaxat, prout dicit adjunctam privationem perfectionis, sicque forma remissa etiam desinet esse, nunquam tamen simpliciter, sed secundum esse tale solùm, cui annexa privatio mox etiam desinit, ubi qualitas de esse imperfecto ad perfectum deducta est, & quæ prius remissa fuit, post modum intensa fit.

§. 4. Neque Intensio ex consequenti potest fieri per additionem gradus ad gradum, ut hodiè communiter volunt Recent. maximè Arriaga disp. 3. sect. 1. subsect. 3. Oviedo Contr. 4. punto 1. §. 4. Ioa. Tellez disp. 6. sect. 1. num. 1. quando afferunt: Intensionem fieri per additionem novæ semper & partialis entitatis ejusdem qualitatis, ad præexistentem qualitatem in eadem subiecti parte, ex quibus deinde pluribus partialibus entitatibus qualitatū ceu gradibus realis fiat una totalis & perfecta qualitas. Verum hanc sententiam nullā firmā ratione subsistere ex Arist. & S. Th. clarè deducitur; Aristoteles enim 4. ph. tex. 84. *Ex calido fit magis calidum*, ait, *nullo facto in materia calido, quod non erat calidum*, quando erat minus calidum. Quod idem ensit D. Th. in 1. sent. dist. 37. quæst. 2. a. 2. *Efficitur aliquid magis album, vel minus calidum*, non per additionem albedinis vel caloris: aut sanè si quid ex gradibus addi censem adversarij, vel specie vel numero ab eo, cui additur, distinctum erit; maximè si ut nonnulli illorum contendunt, quemadmodum in continuo pars à parte, ita juxta ipsos in qualitate gradus à gradu actuali distinctione discernitur: atqui verò specie distinctos gradus non concedent Adversarij, quomodo igitur numero distinctos gradus assentire possunt, quando numerica acci-

dentium diversitas non est nisi à diversitate subjecti, quod idem semper in Intensione perdurat? Iccirco additio graduum ad gradus in Intensione admitti non debet; cùm enim subjectum jam est actu tale per formam accidentalem, non potest ultra fieri actu per talem formam, unde subjectum in Intensione jam actu tale per gradum remissum, v. g. minus album, non potest fieri ulterius album per gradum intensum, sed magis album. Denique si qualitas adderetur qualitati, fieret id aut per modum informationis, & tamen utraque forma est unius & ejusdem rationis cum altera, quō modo in diversam rationem informantis & informati convenire non possunt, scil. in ratione actus & potentiae: vel fieret per modum associationis aut continuationis, tunc intentione transiret in naturam extensionis, quando quae tantum uniuntur per continuationem nunquam unum ex illis recipitur in alio sicut in subjecto. Ut taceam multos alios inexplicabiles nodos, quibus opiniorum varietate circa naturam Intensionis sese nonnulli implicant; neque enim concinnā ratione dicere possunt, utrum æqualis vel inæqualis perfectionis singularis gradus illi: an primus naturâ suâ sit primus: an non potuerit esse tertius vel postremus: an ultimus vel medius primò expellatur, & plura hujusmodi. Satiū igitur censemus Intensionem non fieri nisi per perfectum participandi modū, ad quem id, quod est minus tale, solum habet potentiam, non autem ad novam formam, quando minus tale, formā actu jam habet.

EX LIBRIS

De Anima.

VESTIGIVM XII.

Anima est actus primus Corporis naturalis organici potentia vitam habentis.

DISQUISITIO.

Non quis actus, sed primus & substantialis Anima esse dicitur, & id, quo primò vivimus, sentimus, loco movemur & intelligimus ex lib. 2. de Animâ tex. 24. sive: primum principium vivendi, sentiendi, movendi & intelligendi.

telligendi, quâ definitione secundâ, priorem illam 2. de anima cap. 1. & 2. positam, demonstrare tanquam per notiorem intendit Aristoteles: imò quod prior illa definitio ritè sit tradita, ex ipso munere seu officio animæ, ut est radix suarum operationum, etiam ostendit, quod, cui conveniat tale munus, pariter conveniat, quod sit actus primus respectu Corporis: Unde D. Thom. lect. 4. *Duorum*, inquit, *quorum utroq[ue] dicimus aliquid esse aut operari, unum scilicet quod est primum, est forma, & aliud quasi materia: sed anima est primum, quo vivimus, licet animâ & corpore vivamus, ergo anima est forma respectu corporis virentis, seu organici, quæ fuit definitio anima supra posita.* In qua proinde natura corporis organici non intelligitur, quod hoc habeat antecedenter ad animæ informationem, sed per ipsam animam: idcirco D. Thom. in quæst. de anima art. 1. ad 1^o. docet: *Quod in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum ut informe, sicut cum dicitur motus, actus entis in potentia: aliquando ponitur subiectum formatum, sicut cum dicitur, motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi, & hoc modo dicitur anima actus corporis organici physici, quia anima facit ipsum corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum.* Ut igitur lumen est actus lucidi, & calor est actus calidi, ita ut calidum actu ineludat calorem, pariter & anima quoque est actus corporis organici, non tantum animati vitâ in actu primo, sed & in Esse organici constituti. Quare dicendum non est corpus organicum tale esse absque animâ; implicat enim materiam primam ut pote puram potentiam, esse tunc organicam, & in potentia vitam in actu secundo habentem, cum primùm fiat organizata per animam, quæ sicuti est principium organicè operandi, & ad operationes vitales organicas, ita pariter est principium naturâ prius, ut corpus organicum sit in actu, priusquam vita in actu secundo ab anima procedat. Non ergo sic intelligendum est, ait lect. 1. D. Th. *quod anima sit actus corporis, & quod corpus sit eius materia & subiectum, quasi corpus sit constitutum per unam formam, quæ faciat ipsum esse corpus, & superveniat ei anima, quæ faciat ipsum corpus esse vivum, quin potius ab animâ est, & quod sit, & quod corpus sit, & quod corpus vivum sit.* E^c quamvis quidem corpus organicum non sit in potentia ad quasdam operationes, quando semper aliqua operatio ad informationem Animæ consequitur, relinquitur tamen adhuc in potentia ad

aliquas alias, cum inclusione actus. Neque Aristoteles vult corpus organicum significare materiam absque animâ, quando l. i. censem omnes formas materiales per materiam definiendas esse. unde juxta D. Thom. corpus organicum animatum habet se sicut potentia ad vitam seu actum operationis. Unde propria formalis ratio est ab operari ceu sine desumenda, ut proinde ab eo rationem organi habeat, à quo & potestatem operandi: hanc autem solūm habet ab animâ, ab illa igitur erit organicum.

§. 2. Ex his amplius videas, quām immerito astruatur forma Corporeitatis, aut quævis alia partialis forma substancialis; si enim prima forma quæ advenit materia substancialis est, omnino facit substantiam, & ens actu simpliciter, atque hoc modo substantię & enti simpliciter in actu existenti per formam talem Corporeitatis, adveniet anima sed non substancialiter, cùm illam materiam, utpote quæ in potentia amplius ad hoc non est, nec substantiam, nec in actu simpliciter facere possit. Neque aliquid dicis, quod partiali formæ superveniens anima, licet substantiam non faciat, animare tamen possit, quia anima est; nam Contra est: siquidem etiam substantiam facere debet, quia anima substantia est; sanè enim fieri non potest ut anima sit anima, & tamen substantia non sit. Rursùm nulla ratio necessitatē infert, ad multiplicationem graduum metaphysicorum, multiplicatae formæ seu actus physicos, quando perfectissima forma potest materiam tribuere omne id, quod possunt formæ imperfectæ & inferiores, & facit ipsa sola (anima) quicquid imperfectiores alias facerent, ut ait D. Th. i. p. q. 76. a. 4. Concludimus igitur quod anima sit, quæ sine ullâ Corporeitatis aut aliâ partiali superadditâ formâ, in singulis ac quibusque partibus organicis, temperamento situ ac figurâ diversis, diversa exerceat munia, totumque propterea vivens integret, ac sicut omne reliquum esse, ita & esse corporis organici tribuat; siquidem omnia membra animalis viventis non nisi accidentaliter differre ratione situs, figuræ, temperamenti recte censemus, ceteraque omnia proinde ab anima provenire, per quam quodlibet vivens, & est Corpus, & est organicum, & est potentia vitam habens. opusc. 42. c. 15. Aut dicant Adversarij, an quando formæ partiales in animali mortuo secundum ipsos remanent, adhuc tamen per eandem formam

mam corpus mortuum habeat, ut sit corpus, per quam corpus vi-
vens habuit, ut esset Corpus? sed Aristoteles longè verius censem-
t. de partib. animalium. c. i. *quam primum*, ait, *à corpore anima dis-
cessit, neque membrum ullum, nisi ratione sua figura, idem relinquitur, mo-
do eorum, quæ fabule transisse in lapidem narrant.* Quod D. Thom. opus.
42. c. 13. confirmat: *Necessarium est, inquit, corpus mortuum
per aliam formam esse corpus in actu, quam per illam, per quam erat cor-
pus vivens, corpus actu.* Iccirco corrupto vivente generatur mox
substantialis forma Cadaveris, per quam corpus vivum & mortuum
specie differunt, ita ut distinctio specifica diversorum cadaverum,
recte desumatur à formâ præhabitâ, juxta quam etiam cadavera
nominari solent.

§. 3. Anima est actus totius corporis organici, non unius
partis solum, ut adeo sit tota in toto, & tota in qualibet corporis
parte, idque juxta hanc differentem habitudinem, ait per se primò
ac principaliter nō sit in aliqua corporis parte secundum substi-
tiā, sed ut in toto per se, in partibus autem ex consequenti tota-
liter insit, quandoquidem anima totum corpus, cuius actus primus
est, primariò & principaliter perficit, veluti proprium ac princi-
pale perfectibile: partes verò juxta quod in toto insunt & ad illud
ordinantur, & ut simul etiam ordinem inter se habent, non quod
æqualiter secundum totalitatem virtutis in omnibus partibus to-
ta insit, sed in quibusdam secundum has, in alijs secundum alias
operationes, pro diversitate potentiarum in diversis partibus di-
versis organis præditis residentium. Neq; idcirco statim quælibet
pars viventis animal erit, si essentia animæ cuivis inest, quando a-
nimal est, quod componitur ex animâ & corpore toto, quod est
primum & proportionatum perfectibile. Porro Aristoteles nil nobis
adversatur, cùm lib. de motu animalium. c. i. ait: animam non in
omnibus corporis partibus inesse, sed in una præcipue cui ceteræ
adnascantur; solum enim censem ibidem, in quânam animalis par-
te primo resideat potentia locomotiva. Quod si jam ponamus
corpori uniri ut formam, ait D. Th. i. p. q. 6. a. 3. in c. *omnino im-
possibile videtur plures animas per essentiam differentes in uno corpore esse,*
quia animal non esset simpliciter unum, cuius essent formæ plures; nihil enim
simpliciter est unum, nisi per formam unam, per quam habet res esse; ab eo-

dem enim habet res quod sit ens, & quod sit una. & ideo ea, que denomi-
nantur à diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus. si igit
tur homo ab aliâ forma haberet, quod sit vivum, scilicet ab animâ vegeta-
bili, & ab aliâ formâ quod sit animal, scil. ab animâ sensibili. & ab aliâ quod
sit homo, scilicet ab animâ rationali, sequeretur quod homo non esset unum
simpliciter: Ita D. Tho. Neque contraria Ratio aliquid evincit,
quasi nihil implicet, quin ex ente in actu imperfecto, & actu, pos-
sit fieri unum per se, quando hujusmodi formæ inferiores imper-
fectæ, ultimæ seu rationali subordinantur. Esto sanè priores for-
mæ respectu ultimæ scil. animæ rationalis dici queant imperfectæ
v.g. sensitiva, quia tamen in genere substantiæ omnes æquè per-
fectæ sunt, cum actu substantiam, actu corpus individuum faci-
ant, neque ut sic quidem unum per se ex illis fieri ac constitui po-
terit. Ita sicut in unoquoque vivente non potest esse nisi una ani-
ma intellectiva, quæ tamen virtualiter sit & sensitiva & vegetati-
va, non autem formaliter, nisi velis animam intellectivam dicere
formaliter corpoream materialem, aut quod formaliter esset plan-
ta & brutum, quod utique rectæ rationi repugnat. Non tamen,
si virtute anima hominis continet id, quod habet vegetativa plan-
tarum, & sensitiva brutorum, idcirco negamus hominem formaliter
esse animal; immo vero formaliter animal est, sed non tantum
animal, verum animal rationale. Unde quod est animal formaliter
exclusivè per exclusionem gradus intellectivi, id debet habere ani-
mag sensitivam, quæ non virtute sed formaliter: ad alterum vero
animal sufficit, animâ eâ prædictum esse, quæ in genere causæ for-
malis largiatur denominationes formarum inferiorum, et si ipsa
formaliter & ultimate sit rationalis solùm, ut adeò homo per ean-
dem formam, & sit homo, & animal & vivens; à formâ, inquâ, seu
simplici quâdâ essentiâ quæ sit una actu, virtute tamen multiplex.

VESTIGIVM XIII.

**Animæ sensitivæ perfectorum animalium
sunt indivisibles.**

DISQUISITIO.

S. I. **N**On una tantum anima est, sed triplex: vegeta-
tiva in plantis & arboribus, sensitiva in animalibus, ra-
tionalis in homine: unde immerito Stoici quoque plâ-

tis vitam & animam denegant, eò quod non appetant. Habent sa-
nè plantæ vitam, &c, quæ principium vitæ est, animam, quando
non solum augentur, nutriuntur, sed & generandi ui præditæ
sunt, quæ propria viventibus esse, ex eo capite liquet, quod iccir-
co non viventia à viventibus secernamus, quia hæc per propriam
operationem à seipsis incrementa sumunt, ea vero non nisi cujus-
dam extra appositi adminiculo operantur ac majora fiunt. Porro
de triplici hoc animalium genere quæstio agitatur, an & quænam
animæ divisibiles sint, divisione quantitativâ? Et quidem de ani-
mâ rationali res in confessu est, eam omnino esse indivisibilem in
corpore materiali, ex eodem, quo spiritualem illam esse constat,
principio. Spiritualem autem & immortalem animam rationalem
esse, salvâ fide negari non potest, & habetur ex Decret. Lateran.
Concilij sub Leone X. sess. 8. unde etiam homo dicitur composi-
tuſ ex corpore & spiritu, in cap. Firmiter de summa Trinit. Et quâ-
vis quidem anima rationalis forma sit corporis divisibilis & ex-
tensi, adeoque recipi debeat ut alia quæque ad modum & condi-
tionem subjecti sui, non ideo tamen statim extensa & divisibilis
est, quando solum recipitur secundum aliquem modum congru-
entem ipsi materia; neque enim major proportio inter materiam
& animam rationalem quoad informationem requiritur, quâm
ut anima rationalis habeat se ut actus idone⁹ informare materiam
vel subjectum, hocque ut sit potentia apta informari ab animâ. Ic-
circo etiam adhoc ut anima indivisibilis possit esse indivisibiliter
in divisibili corpore, necesse aliud non est, quâm ut ea simpliciter
proportio inter materiam & formam intercedat, ut unum habeat
se ut potentia, & alterum ut actus, utque sic materia subjectum i-
doneum formæ sit, & forma actus commensuratus materia. quod
S. Th. in quæst. unic. de anima. a. 10. explicar exemplo angeli, qui
simul in totum aliquod divisibile spatium agere potest, eiique eti-
mæ indivisibilis præsens tamen existere.

. S. 2. Formæ seu animæ aliorum perfectorum animalium vel
brutorum omnino & ipsæ indivisibiles sunt ad divisionem subjecti
& per accidens; nam per se dividii hujusmodi nō posse certum est,
quando omnis forma per se est expers quantitatis. Unde dividii in
partes quantitativas non convenit formis, nisi per accidens, rati-
one

oae nimirū illius, in quo sunt, quod si, ut talis formæ subjectum dividi possit, & formam quamque secum divisibilem faciet. Planū autem est, ait, D. Thom. quæst. unicā de anima. a. 8. in Corp. quod non dividitur divisione continui præcipue animalium anima perfectorum, quæ docisa (divisa) non vivunt; Nam divisio quantitativa ex hoc solū aliquibus formis competit, quia materiam similem habent, & in toto & in parte, sicque totum & partes indifferenti habitudine respiciunt; unde & in toto & in parte divisâ, prout utrobius æqualiter sua requisita reperiunt, operationes suas exercere possunt. Quare cùm formæ animalium perfectorum requirant magnam dissimilitudinem in partibus, non æqualiter se habent ad totum & ad partes: iccirco nec per accidens divisione quantitativali dividi possunt; uti enim in parte & in toto æqualiter sua requisita inveniunt, ita in parte divisâ salvare non possunt, quando hujusmodi formæ ad operationes suas exercendas diversa organa per se requirunt. Iccirco Aristoteles l. de Juventute & senect. cap. 1. distinguens perfectorum animalium vitam ac animam ab imperfectorum & insectorum, *Optime autem constituta animalia*, inquit, *hoc non patiuntur* (ut divisa vivant, & sensum faciant) propter hoc quod natura ipsorum, ut possibile est, maximè una est. quod si maximè una, minimè divisibilis ad divisionem subjecti. Unde & experientiâ nobis manifestum fit, quod pes, caput vel aliud organum ab animali se junctū nullas amplius vitæ operationes exerceat, aut motum cieat, nisi forte propter spiritus vitales, qui majori alicubi copiâ vigent. Denique non contradicimus Aristoteli, quando is 6. phys. tex. 49. docet, ea, quæ in materiâ subjectantur, etiam secundum esse dependentia, divisibilia per accidens esse. Omnia ò concedendum est in ijs, quæ nim. habent indifferentem habitudinem ad totum & ad partes ejus, nullamque aut admodum exiguum diversitatem in partibus: si quæ autem hujusmodi differentem & ad totum & ad partes habitudinem gerant, magnamque diversitatem in partibus exigant, penitus negatur tales formas vel animas divisibiles esse ad divisionem subjecti, aut per accidens, ut sunt formæ & animæ brutorum perfectorumque animalium.

§. 4. Alia & diversa ratio est plantarum & brutorum imperfectorum; hujusmodi enim, quæ non habent nisi ex ilem diversitatem

tem organorum, totumque & partes indifferenti habitudine re-spiciunt, per accidens dividuntur divisione quantitatis, sicut *albedo* divisione superficie, ut ait quæst. de spirit. Creat. a. 4. S.Th. Unde Aristoteles lib. de Longitud. & brevit. vita ait: *similantur autem plantæ insectis, sicut dictum est prius; divisa enim vivunt, & due & multæ sunt ex anima: Insecta autem usq; ad ipsum vivere pervenerunt, multo autem non possunt tempore; non enim habent instrumenta, neque facere potest ipsa principium, quod in unoquog; quod autem in plantâ potest, ubique enim habet germen & radicem potentiam.* Et quamvis quidem animæ imperfectorum etiam animalium requirant diversitatem ac organizationem aliquam in partibus, tantam tamen non requirunt, sicut perfectorum animalium, quorum organa ex diversis sunt, sed sufficiunt talibus organa imperfecta propter vitam nimis imperfectam. Unde quælibet pars potest esse organum salvans naturam in imperfectis: & inde etiam contingit, quod diviso corpore maneat in quælibet parte organa sufficientia ad illam vitam ita imperfectam & materialem, saltem pro aliquo tempore, potestq; in hujusmodi dividâ anima, prout quælibet est una, & potestate plures: & hâc ratione dicuntur animæ illæ esse divisibiles; quanquam non penitus nec omni ex parte divisibilitas ista in quibusque reperiatur, maximè in illis animalculis, quorum corpus totum componitur quasi ex quibusdam circulis & annulis, sicut serpentes, vermes, & anguillæ: hâc quia virtutes suas maximè habent in circulis & annulis, ideo per transversum vel latitudinem divisa in utramque parte retinent & sensum & motum: si autem secundum longitudinem à summo ad imum corpus horum dividatur, vel quilibet circulus in duos semicirculos, divisione tali factâ statim moriuntur & jacent immobilia, eò quod non habeant organa in quibus operatio sensus & motus fiat.

VESTIGIUM XIV.

Objectum Intellectus nostri est quidditas rei materialis abstracta à phantasmatibus.

DISQUISITIO.

§. I. **I**n intellectus est potentia spiritualis animæ rationalis, per quam intelligibilia cognoscuntur, non autem est ipsa-

met animæ rationalis essentia; neque enim intelligere est ipsum animalia Essere; nam non nisi in solo Deo idem est intellectus & divina essentia; in creaturis autem intellectualibus sicuti actus & operatio intellectualis est in genere accidentium, ita in eodem quoque genere necesse est esse potentiam: quare repugnat illam esse ipsammet animæ essentiam. Ceterum Intellectus est potentia passiva, & intelligere quoddam pati; quemadmodum enim & sensus species sensibiles impressas recipiendo ab objecto suo patitur, ita & intellectus species intelligibiles retipiendo pati dicitur, non passione corruptivâ inter contraria, sed perfectâ vel perfectivâ: juxta quod, ut S. Th. docet 1. p. q. 29. a. 2. aliquis pati dicitur communiter, ex hoc, quod id, quod est in potentia ad aliquid, recipit illud, ad quod erat in potentia, absq; hoc quod aliquid abiiciatur, secundum quem modum omnne quod exit de potentia in actum, potest dici pati, etiam cum perficitur; Et sic intelligere nostrum est pati, ait S. Doctor. Idcirco Aristoteles tex. 5. etiam ait: *Quid ipsum Intellectus cognoscens aliquid, non sit alia natura, nisi hac, quod possibilis.* Patitur itaque intellectus ab intelligibili, prout ipsum intelligibile intra se secundum esse spirituale & intentionale recipit, adeoque per assimilationem potentiam cum objecto secundum speciem intelligibilem impressam objecti representativam. Commune autem effatum Aristotelis est & Philosophorum: sicuti sensus est singularium, ita intellectus non nisi universalium. Quare primarium intellectus humani objectum non est, nisi ens universale seu quidditas rei materialis, non restricta ad certas loci & temporis conditiones, sed à differentijs singulatibus individuantibus penitus libera; quandoquidem enim praesentis vitæ statu modus intelligendi homini proprius is solum est, quo mens humana ad phantasmata sese convertens ex eorum speculatione res ipsas, quarum à sensu phantasmata accepit, intelligit, solum illud erit proprium objectum intellectus, quod ei ad phantasmata hoc modo speculatione converso obicitur: hocce vero non est nisi quidditas rei sensibilis & materialis ut abstracta à phantasmate; si enim nihil est in intellectu, nisi quod prius fuerit in sensu, oportebit intelligentem speculari phantasmata rei materialis seu sensibilis, ut aedē objectum motivum intellectus ut est in corpore, sit ens tantum sensibile, prout abstractibile est à

principijs individuantibus scil. materiâ, quæ est principium individuationis ex Aristotele s. Met. tex. 12. & S.Th. i. p.q.3.a.2.ad3. ac alibi passim. Nunquam enim potest fieri intellectio nisi res vel natura materialis parem quasi cum intellectu fortius immaterialitatem; omne enim quod recipitur ad modum recipientis recipi necesse est. Unde & S.Thomas i. p. q. 14. a. 1. docet: *Quod immaterialitas sit ratio cur aliqua res sit cognoscitiva, & secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis.* Intellectus igitur & anima nostra in tantum intelligit, in quantum potest fieri quodammodo id quod intelligit: adeoque præter formam suam propriam potest infere habere formam ejus, quod intelligit, & hoc in quantum est minus limitatus & coarctatus, prout scilicet minus habet materiae. Et sic quantum aliquid est immaterialius, magis etiam est cognoscitivum. Unde De vs & Angeli sunt maximè cognoscitivi, minus autem anima rationalis, quandoquidem corpori immerita sensibilia materialia, et si abstracta à phantasmatibus percipit. Sicut igitur immaterialitas est ratio cognoscitivi, ita materia ex adverso obstat intellectioni, & ratione materiae solùm etiam singularitas. Quare adhoc ut fiat intellectio, cùm recipiens seu intellectus sit spirituale quid & immateriale, etiam receptum seu objectum intellectus rationem immaterialis induat oportet, quod cùm quiditas rei materialis ex sui naturâ non habeat, idcirco per intellectum agentem à phantasmatibus sensibilibus abstrahitur, ut adeo proportionatum intelligibile ab intellectu percipi possit.

S. 2. Intellectus noster non potest per proprium conceptum seu distinctè substantias immateriales cognoscere, cùm nec sensibilia entia sint, & consequenter nulla harum phantasmata abstrahi possint. Docet autem S.Thomas i. p. q. 8 s. a. 7. ad 2. quòd talia immaterialia cognoscatur intellectus noster, vel per comparationem ad corporalia, vel per remotionem: singularia verò materialia etiam quâ talia per se & directè cognoscere non potest intellectus noster, nisi indirectè & quodammodo arguitivè tantum. Ita enim Aristoteles i. ph. tex. 49. ait, *Universale secundum rationem intellectum scil. natum esse singulare verò secundum sensum;* ut adeò objectum proprium intellectus non sit nisi universale quid: singularia siquidem materialia, cùm ut talia includant principia individuationis.

nim; materialia, longè impropotionata sunt, ut per species materiales & materialia phantasmata potentiam spiritualem in genere representationis directè afficere possint. Cognoscit tamen intellectus noster singularia materialia indirectè, & per quandam supra actum suum reflexionem, in quantum intellectus per speciem intelligibilem cognoscit tam id, à quo species abstracta est, quam prout inferiores vires regendo mens nostra mediante ratione, particulari seu cogitativa singularibus sese imiscet. Rem omnem clarissimè proponit S. Th. q. 2. de verit. a. 6. ubi inter cætera *Intellectus noster*, inquit, *non directè ex specie quam suscipit, fertur ad cognoscendum phantasma: sed tamen per quandam reflexionem reddit etiam in cognitionem ipsius phantasmatis, dum considerat naturam actus sui, & speciei per quam intuetur, & eius à quo speciem abstrahit, scil. phantasmatis: sicut per similitudinem, qua est in visu à speculo accepta, directè fertur visus in cognitionem rei speculata, sed per quandam reversionem fertur per eandem in ipsam similitudinem qua est in speculo.* In quantum ergò intellectus noster per similitudinem, quam accepit à phantasmate, reflectitur in ipsum phantasma, à quo speciem abstrahit, quod est similitudo particularis, habet quandam cognitionem de singulari secundum continuationem quandam intellectus ad *Imaginationem*. Neque oportet adhoc, ut intellectus dicatur cognoscere hoc modo singularia, ut ipsius individui seu singularis apprehensiō sit in intellectu, sed sufficit ut tantum modò in phantasiam vel imaginationem: & tamen adhuc dicitur intellectus illā apprehensione individuum cognoscere mediante sensu, in quantum comparando & efficiuntur quasi virtus una. Et idcirco quidquid directè percipit phantasia intellectui subordinata, id intellectus indirectè percipere censendus est, quando pro statu hujus vita non solus intellectus est movens, sed & phantasia, in quantum intellectualis cognitio circa universale applicatur per phantasiam ad particulare. Denique verò quia Dei & Angeli non accipiunt cognitionem à rebus, sed potius Idea qua est in Deo est causa rerū non solùm quoad Formam, sed etiam quoad materiam: similitudo verò vel species impressa in Angelis non ab obiecto, sed à Deo effluit, ideo ab his singularia materialia cognosci possunt.

DEO IMMORTALI, IMMACULATÆ VIRGINI Matri,
DIVIS COELITIBVS, GLORIA, LAVS ET HONOR,

APPROBATIO.

Qui doctissima hæc Vestigia
legit, securus rectæ fidei, & honesta-
tis morum, ad solidam Aristotelis & S. Tho-
mæ doctrinam, viam invenit.

P. CAROLUS MONACHUS
*Andecensis SS. Th. D. & Profes-
for Ordinarius, Universitatis
Procancellarius.*

RR. ET

RR. ET DOCTISSIMIS FF.
ORBITÆ NATURALIS
PROPUGNATORIBUS.

MAgna minorq; feræ, quibus orbita totius orbis,
Et velut ex humeris pendet uterq; polus;
Vos voco, teq; Helice teq; o Cynosura, supremo
Quæ super axe pari robore fertis onus:
Pondus Atlantiacis fertis par viribus, orbis
Mobile quidquid habet, quidquid & astra vident.
Cedite de vestre nunc denique, cedite cœlo:
Qui premit, ut non vos opprimat ille labor.
Nobile par Fratrum, virtus geminata, deinceps
Succollare suis viribus ista queunt.
Quidquid in orbe vides nam mobile, quidquid in astris,
Orbita seu primum mobile docta movet.

Ex Animo

applausit.

F. FERDINANDUS SPINDLER,
Ordin. S. Benedicti, Monasterij
Garstensis Professus, in Philoso-
phia Condiscipulus.

AD EOS DEM.

A Patre commissas Phaëthon dum captat habenas,
Ac hebes in domitos curribus aptat equos:
Hâc, pater inquit, iter tibi sit puer, orbita currûs
Quâ manifesta mei signa relicta dabit.
Hâc sit iter: validis hinc fortius utere loris,
Sic honor ex crescet, si benè flectis equos.
His monitum, rapiunt mox quâ data porta jugales,
Protinus à tritâ surripiuntque viâ.
Hinc subeunt sœvas tellus, mare, sidera flamas:
Non illustratus, sed rogus orbis erat.
Scilicet est tanti, quid sit vera orbita scire,
Frænâque, flammivomi quēis inhibentur equi.
Vos melius regitis, neuterque *exorbitat, orbis*
Quando fit illustrū, nec tamen inde flagrat,

Animitus

Accinuit

F. ANSELMUS ESTERMAN,
Eundem Ordinem in Monasterio
Formbacensi Professus, Philosophia Bas-
calarens, Magisterij Candidatus.